Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Marcus Iunianus Iustinus

Ivstini Historiarvm Libri XXXXIV. : In Vsvm Stvdiosae Ivventvtis Denvo Singvlari Cvra Recogniti

Halae Magdebvrgicae: Impensis Orphanotrophei, MDCCXLVII.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982

Druck Freier Zugang





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn862743982/phys_0001
DFG

20. C. 16.

Cd_5849.

~~C. II e. 3350.~~

~~XX. ... XV. 4.6.~~

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn862743982/phys_0002
DFG

IVSTINI HISTORIARVM LIBRI XXXXIV.

IN VSVM STVDIOSAE IVVENTVTIS

DENVO SINGVLARI CVRA RECOGNITI.



HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEI.
M DCC XLVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0005
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0006
DFG

IVSTINI HISTORIARVM EX TROGO POMPEIO

LIBER I.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Assyriorum prima Monarchia sub Nino.*
2. *Semiramidis a filio tandem interfectae imperium.*
3. *Postremus Assyriorum Rex Sardanapalus.*
4. *Medorum Monarchia sub Astyage, Cyri avo.*
5. *Cyri pueritia, adolescentia; & Harpagi ad Cyrum admonitio, &c.*
6. *Sybarem belli comitem Cyrus nobili praemio donat, & Astyagem regno spoliat.*

7. *Croesum vincit, & Lydos debellat ac sub iugo astute retinet. Candaulis tragoedia.*
8. *Bellum Scythicum, in quo initia Cyro felicia, finis autem luctuosissimus.*
9. *Cambyses Cyro succedit, & suomet gladio conficitur. Legitimo haerede Smerdide sublato magi rerum potiuntur. Ostanes aliorum principum opera adiutus magos de medio tollit.*
10. *Darius equi hinnitu seruuli industria fit tertius Persarum Rex, &c.*

CAP. I.

Principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat: quos ad fastigium huius Maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Populus nullis legibus tenebatur: arbitria principum pro legibus erant. Fines imperii tueri magis, quam proferre, mos erat: intra suam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus, rex Assyriorum, veterem & quasi aultum gentium morem noua imperii cupiditate mutauit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos terminos vsque Libyae perdomuit. Fuere quidem temporibus antiquiores, Sesostris Aegypti, & Scythiae rex Tanaus: quorum alter in Pontum, alter vsque Aegy-

gyptum excessit. Sed longinqua, non finitima bella gerebant: nec imperium sibi, sed populis suis gloriam quaerebant; contentique victoria, imperio abstinebant: Ninus magnitudinem quaesitae dominationis continua possessione firmauit. Domitis igitur proximis, cum accessione virium fortior ad alios transiret, & proxima quaeque victoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit. Postremum illi bellum cum Zoroastre, rege Bactrianorum fuit, qui primus dicitur artes magicas inuenisse & mundi principia, siderumque motus diligentissime spectasse. Hoc occiso, & ipse decessit, relicto impubere adhuc filio Ninya, & vxore Semiramide.

CAP. II. Haec nec immaturo ausa tradere imperium, nec ipsa palam tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter vni viro, nedum feminae, parituris, simulatse pro vxore Nini, filium; pro femina, puerum. Nam & statura vtrique mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio similis. Igitur brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit: & ne nouo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri iubet: quem morem vestis exinde gens vsquequaque tenet. Sic primis initiis sexum mentita, puer esse credita est. Magnas deinde res gessit: quarum amplitudine vbi inuidiam superatam putat, quae sit, fatetur, quemue simulasset. Nec hoc illi dignitatem regni ademit, sed admirationem

auxit; quod mulier non feminas modo virtute, sed etiam viros anteiret. Haec Babyloniam condidit, murumque vrbi cocto latere circumdedit, arenae vice, bitumine interstrato: quae materia in illis locis passim e terra exaestuat. Multa & alia praeclara huius reginae fuere. Siquidem non contenta acquisitos viro regni terminos tueri, Aethiopiam quoque imperio adiecit. Sed & Indiae bellum intulit; quo praeter illam & Alexandrum Magnum nemo intrauit. Ad postremum cum concubitum filii petisset, ab eodem interfecta est, duos & quadraginta annos post Ninum regno potita. Filius eius Ninya contentus elaborato a parentibus imperio, belli studia deposuit, & veluti sexum cum matre mutasset, raro a viris visus, in feminarum turba consenuit. Posteri quoque eius, id exemplum sequuti, responsa gentibus per internuntios dabant. Imperium Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, mille trecentis annis tenuere.

CAP. III. Postremus apud eos regnauit Sardanapalus, vir muliere corruptior. Ad hunc videndum (quod nemini ante eum permissum fuerat) praefectus ipsius, Medis praepositus, nomine Arbactus, cum admitti magna ambitione aegre obtinuisset; inuenit eum inter scortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cum mollitia corporis, & oculorum lasciuia omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis, indignatus tali feminae tantum virorum subiectum, tra-

tractantique lanam, ferrum & arma portantes parere; progressus ad socios, quid viderit refert: Negat se ei parere posse, qui se feminam malit esse, quam virum. Fit igitur coniuratio, bellum Sardanapalo infertur, quo ille audito, non vt vir regnum defensurus, sed vt metu mortis mulieres solent, primo latebras circumspicit: mox deinde cum paucis & incompositis in bellum progreditur. Victus, in regiam se recipit; vbi exstructa incensaque pyra, & se & diuitias suas in incendium mittit: hoc solo imitatus virum. Post hunc rex constituitur interfector eius Arbactus, qui praefectus Medorum fuerat. Is imperium ab Assyriis ad Medos transfert.

CAP. IV. Post multos deinde reges, per ordinem successionis, regnum ad Astyagen descendit. Hic per somnum vidit ex naturalibus filiae, quam vnicam habebat, vitem enatam, cuius palmite omnis Asia obumbraretur. Consulti harioli, ex eadem filia nepotem ei futurum, cuius magnitudo praenuntietur, regnique ei amissionem portendi, responderunt. Hoc responso exterritus, neque claro viro, neque ciui filiam, ne paterna materna-que nobilitas nepoti animos extolleret; sed ex gente, obscura tunc temporis, Persarum, Cambysi mediocri viro in matrimonium tradit. Ac ne sic quidem somni metu depositio, grauidam ad se filiam arcessit, vt sub aui potissimum oculis partus necaretur. Natus infans datur occidendus Harpago,

regis arcanorum participi. Is veritus, si ad filiam mortuo rege venisset imperium, quia nullum Astyages virilis sexus genuerat, ne illa necati infantis vltionem, quam a patre non potuisset, a ministro exigeret; pastori regii pecoris puerum exponendum tradit. Forte eodem tempore & ipsi pastori filius natus erat. Eius igitur vxor, audita regii infantis expositione, summis precibus rogat, sibi afferri ostendique puerum, cuius precibus fatigatus pastor, reuersus in siluam, inuenit iuxta infantem canem feminam, paruulo vbera præbentem, & a feris alitibusque defendentem. Motus & ipse misericordia, qua motam etiam canem viderat, puerum defert ad stabula, eadem cane anxie prosequente: quem vbi in manum mulier accepit, veluti ad notam puer alluxit: tantusque in illo vigor, & dulcis quidam blandientis infantis risus apparuit, vt pastorem vxor vltro rogaret, (quo suum partum pro illo exponeret) permitteret (que) sibi, siue fortunæ ipsius, siue spei suae puerum nutrire. Atque ita permutata sorte paruulorum, hic pro filio pastoris educatur: ille pro nepote regis exponitur. Nutrici Spacos postea nomen fuit, quia canem Persæ sic vocant.

CAP. V. Puer deinde cum inter pastores esset, Cyri nomen accepit. Mox rex inter ludentes sorte delectus, cum per lasciuiam contumaces flagellis cecidisset, a parentibus puerorum querela est regi delata, indignantibus, a seruo regio ingenuos homi-

mines seruilibus verberibus affectos. Ille arcessito puero & interrogato, cum, nihil mutato vultu, fecisse se vt regem respondisset; admiratus constantiam, in memoriam somnii responsique reuocatur. Atque ita cum & vultus similitudo, & expositionis tempora, & pastoris confessio conuenirent, nepotem agnouit. Et quoniam defunctus sibi somnio videretur, agitato inter pastores regno; animum minacem duntaxat in illo fregit. Caeterum Harpago amico suo infestus, in vltionem seruati nepotis, filium eius interfecit, epulandumque patri tradidit. Sed Harpagus ad praesens tempus dissimulato dolore, odium regis in vindictae occasionem distulit. Interiecto deinde tempore, cum adolevisset Cyrus, dolore orbitatis admonitus, scribit ei, vt ablegatus in Persas ab auo fuerit: vt occidi eum parnulum auus iusserit: vt beneficio suo seruatus sit: vt regem offenderit: vt filium amiserit. Hortatur, exercitum paret, & pronam ad regnum viam ingrediatur, Medorum transitionem pollicitus. Epistola, quia palam ferri nequibat, regis custodibus omnes aditus obsidentibus, exinterato lepori inseritur, lepusque in Persas Cyro ferendus, fido seruo traditur: addita retia, vt sub specie venatoris dolus lateret.

CAP. VI. Lectis ille epistolis, eadem somnio aggredi iussus est: sed praemonitus, vt quem primum postera die obuium habuisset, socium coeptis assumeret. Igitur antelucano tempore ruri iter

ingressus, obuium habuit seruum de ergastulo cuiusdam Medi, nomine Sybarem. Huius requisita origine, vt in Persis genitum audiuit, demtis compedibus assumtoque comite, Persepolim regreditur. Ibi conuocato populo, iubet omnes praesto cum securibus adesse, & siluam viae circumdatam excidere. Quod cum strenue fecissent, eosdem postero die apparatis epulis inuitat: deinde cum alacriores ipso conuiuio factos videret rogat, si conditio proponatur, vtrius vitae sortem legant, hesterni laboris, an praesentium epularum: praesentium, vt acclamauere omnes; ait, Hesterno similem labori omnem vitam acturos, quoad Medis pareant: se secutos, hodiernis epulis. Laetis omnibus, Medis bellum infert. Astyages meriti sui in Harpagum oblitus, summam belli eidem committit: qui exercitum acceptum statim Cyro per deditionem tradidit, regisque crudelitatem perfidia defectionis vlciscitur. Quod vbi Astyages audiuit, contractis vndique auxiliis, ipse in Persas proficiscitur: & repetito alacrius certamine, pugnantibus suis, partem exercitus a tergo ponit, & tergiuersantes, ferro agi in hostes iubet: ac denuntiat suis, ni vincerent, non minus fortes etiam post terga inuenturos, quam a frontibus viros: proinde videant, fugientibus haec, an illa pugnantibus acies rumpenda sit. Ingens, post necessitatem pugnandi, animus exercitui eius accessit. Pulsa itaque cum Persarum acies paulatim cederet; matres & vxores eorum obviam occurrunt: orant, in proelium revertantur:

cun-

cunctantibus, sublata veste, obscoena corporis ostendunt, rogantes, num in vteros matrum vel vxorum velint refugere. Hac repressi castigatione, in praelium redeunt: & facta impressione, quos fugiebant, fugere compellunt. In eo praelio Astyages capitur: cui Cyrus nihil aliud quam regnum abstulit: nepotemque in illo magis, quam victorem egit: eumque maximae genti Hyrcanorum praeposuit. Nam in Medos reverti ipse noluit. Hic finis Medorum imperii fuit. Regnaverunt an. CCCL.

CAP. VII. Initio regni, Cyrus Sybarem coeptorum socium, quem iuxta nocturnum visum ergastulo liberauerat, comitemque in omnibus rebus habuerat, Persis praeposuit, sororemque suam ei in matrimonium dedit. Sed ciuitates, quae Medorum tributariae fuerant, mutato imperio, etiam conditionem suam mutatam arbitrantes, a Cyro defecerunt: quae res multorum bellorum Cyro causa & origo fuit. Domitis demum plerisque, cum aduersus Babylonios bellum gereret, Babyloniis rex Lydorum Croesus, cujus opes & diuitiae insignes ea tempestate erant, in auxilium venit; victusque iam de se sollicitus, in regnum refugit. Cyrus quoque post victoriam, compositis in Babylonia rebus, bellum transfert in Lydiam. Ibi fortuna prioris praelii perculsum iam Croesi exercitum, nullo negotio fundit: Croesus ipse capitur. Sed quanto bellum minoris periculi, tanto & mitior victo-

ria fuit, Croeso & vita, & patrimonii partes, & vrbs Barce concessa sunt: in qua etsi non regiam vitam, proximam tamen maiestati regiae degeret. Haec clementia non minus victori quam victo vtilis fuit. Quippe ex vniuersa Graecia, cognito quod illatum Crœso bellum esset, auxilia velut ad commune extinguendum incendium confluebant. Tantus Crœsi amor apud omnes vrbes erat: passurusque Cyrus graue bellum Graeciae fuit, si quid in Crœsum crudelius consuluisset. Interiecto deinde tempore, occupato in aliis bellis Cyro, Lydi rebellauere: quibus iterum victis, arma & equi ademti, iussique cauponas, & ludicras artes, & lenocinia exercere. Et sic gens industria quondam potens, & manu strenua, effeminata mollitie luxuriaque, virtutem pristinam perdidit; & quos ante Cyrum inuictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos otium ac desidia superauit. Fuere Lydis multi ante Croesum reges, variis casibus memorabiles; nullus tamen fortunæ Candaulis comparandus. Hic vxorem, quam propter formae pulchritudinem deperibat, praedicare omnibus solebat, non contentus voluptatum suarum tacita conscientia, nisi etiam matrimonii reticenda publicaret: prorsus quasi silentium damnum pulchritudinis esset. Ad postremum vt affirmationi suae fidem faceret, nudam sodali suo Gygi ostendit. Quo facto, & amicum, in adulterium vxoris sollicitatum, hostem sibi fecit: & vxorem, veluti tradito alii amore, a se alienauit. Namque breui post tem-

tempore caedes Candauli, nuptiarum praemium fuit, & vxor mariti sanguine dotata, regnum viri & se pariter adultero tradidit.

CAP. IIX. Cyrus, subacta Asia, & vniuerso Oriente in potestatem redacto, Scythis bellum infert. Erat eo tempore Scytharum regina Tomyris, quae non muliebriter aduentu hostium territa, cum prohibere eos transitu Araxis fluminis posset, transire permisit, & sibi faciliorem pugnam intra regni sui terminos rata, & hostibus obiectu fluminis fugam difficiliorem. Itaque Cyrus traiectis copiis, cum aliquantisper in Scythiam processisset, castra metatus est. Dein postera die, cum simulato metu, quasi refugiens, castra deseruisset, vini affatim, & ea, quae epulis erant necessaria, reliquit. Quod cum nuntiatum reginae esset, adolescentulum filium ad insequendum eum cum tertia parte copiarum mittit. Cum ventum ad Cyri castra esset, ignarus rei militaris adolescens, veluti ad epulas, non ad praelium veniisset, omissis hostibus, insuetos barbaros vino se onerare patitur: priusque Scythae ebrietate, quam bello vincuntur. Nam cognitis his, Cyrus reuersus per noctem, saucios opprimit, omnesque Scythas cum reginæ filio interficit. Amisso tanto exercitu, & quod grauius dolendum, vnico filio, Tomyris orbitatis dolorem non in lacrymas effudit, sed in vltionis solatia intendit; hostesque recenti victoria exultantes, pari insidiarum fraude circumuenit. Quippe simulata

diffidentia propter vulnus acceptum, refugiens, Cyrum ad angustias vsque perduxit. Ibi compositis in montibus insidiis, ducenta millia Persarum cum ipso rege trucidauit. In qua victoria etiamillud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantae cladis superfuit. Caput Cyri amputatum, in vtrem humano sanguine repletum coniici regina iubet, cum hac exprobratione crudelitatis, Satia te, inquit, sanguine, quem sitisti, cuiusque insatiabilis semper fuisti. Cyrus regnavit annos XXX. non initio tantum regni, sed continuo totius temporis successu, admirabiliter insignis.

CAP. IX. Huic successit filius Cambyses, qui imperio patris Aegyptum adiecit: sed offensus superstitionibus Aegyptiorum, Apis, caeterorumque Deorum aedes dirui iubet. Ad Ammonis quoque nobilissimum templum expugnandum exercitum mittit: qui tempestatibus & arenarum molibus oppressus, interiit. Post haec per quietem vidit fratrem suum Smerdim regnaturum. Quo somnio exterritus, non dubitauit post sacrilegia etiam parricidium facere. Erat enim difficile, vt parceret suis, qui cum contemtu religionis, grassatus etiam aduersus deos fuerat. Ad hoc tam crudele ministerium magum quendam ex amicis delegit, nomine Cometem. Interim Ipse, gladio sua sponte euaginato, in femore grauiter vulneratus, occubuit; poenasque luit, seu imperati parricidii, seu sacrilegii perpetrati. Quo nuncio accepto, magus ante

te

te famam amissi regis occupat facinus; prostratoque Smerde, cui regnum debebatur, fratrem suum subiecit Oropasten. Erat enim & oris, & corporis lineamentis persimilis; ac nemine subesse dolum arbitrante, pro Smerde rex Oropasta constituitur. Quae res eo occultior fuit, quod apud Persas persona regis sub specie maiestatis occulitur. Igitur magi, ad fauorem populi conciliandum, tributa & militiæ vacationem in triennium remittunt: vt regnum, quod fraude quaesierant, indulgentia & largitionibus confirmarent. Quae res suspecta primo Ostani viro nobili, & in coniecturis sagacissimo, fuit. Itaque per internuntios quaerit de filia, quæ inter regias pellices erat, an Cyri regis filius rex esset. Illa nec se ipsam scire ait, nec ex alia posse cognoscere: quia singulae separatim recludantur. Tum pertrectare dormienti caput iubet. Nam mago Cambyses aures vtrasque praeciderat. Factus deinde per filiam certior, sine auribus esse regem, optimatibus Persarum rem indicat; & in caedem falsi regis impulsos, sacramenti religione obstringit. Septem tantum conscii fuere huius coniurationis, qui ex continenti, ne dato in poenitentiam spatio, res per quenquam narraretur, occultato sub veste ferro, ad regiam pergunt. Ibi obuiis interfectis, ad Magos perueniunt: quibus ne ipsis quidem animus in auxilium sui defuit: siquidem stricto ferro duos de coniuratis interficiunt. Ipsi tamen corripiuntur a pluribus: quorum alterum Gobryas medium amplexus, cunctantibus

sociis, ne ipsum pro mago transfoderent, quia res obscuro loco gerebatur, vel per suum corpus adigi mago ferrum iussit: fortuna tamen ita regente, illo incolumi Magus interficitur.

CAP. X. Occisis Magis, magna quidem gloria recepti regni principum fuit: sed multo maior in eo, quod cum de regno ambigerent, concordare potuerunt. Erant enim virtute & nobilitate ita pares, ut difficilem ex his populo electionem aequalitas faceret. Ipsi igitur viam inuenerunt, qua de se iudicium religioni & fortunae committerent. Pactique inter se sunt, vt die statuta omnes, equos ante regiam primo mane perducerent: & cuius equus inter solis ortum hinnitum primus edidisset, is rex esset. Nam & Solem Persae vnum Deum esse credunt: & equos eidem Deo sacratos ferunt. Erat inter coniuratos Darius Hystaspis filius: cui de regno sollicito equi custos ait, si ea res victoriam moraretur, nihil negotii superesse: per noctem deinde equum pridie constitutam diem ad eundem locum ducit, ibique equae admittit, ratus ex voluptate veneris futurum, quod euenit. Postera die itaque, cum ad statutam horam omnes conuenissent, Darii equus, cognito loco, ex desiderio feminae hinnitum statim edidit: & segnibus aliis, felix auspicium domino primus emisit. Tanta moderatio caeteris fuit, audito auspicio, vt confestim equis desilierint, & Darium regem salutauerint, Populus quoque vni-

ver-

versus, secutus judicium principum, eundem regem constituit. Sic regnum Persarum, septem nobilissimorum virorum virtute quaesitum, tam levi momento in vnum collatum est. Incredibile prorsus, tanta patientia cessisse eo, quod vt eriperent magis, mori non recusauerint. Quanquam praeter formam, virtutemque hoc imperio dignam, etiam cognatio Dario iuncta cum pristinis regibus fuit. Principio igitur regni, Cyri regis filiam in matrimonium recepit, regalibus nuptiis regnum firmaturus: vt non tam in extraneum translatum, quam in familiam Cyri reuersum videretur. Interiecto deinde tempore, cum Assyrii desciuissent, & Babyloniam occupassent, difficilisque vrbis expugnatio esset; aestuante rege, vnus de interfectoribus magorum, Zopyrus domi se verberibus lacerari toto corpore iubet: nasum, aures, & labia sibi praecidi: atque ita regi inopinanti se offert. Attonitum, & quaerentem Darium causas, auctoremque tam foedae lacerationis, tacitus, quo proposito fecerit, edocet; formatoque in futura consilio, transfugae titulo Babyloniam proficiscitur. Ibi ostendit populo laniatum corpus: queritur crudelitatem regis, a quo in regni petitione, non virtute, sed auspicio, non iudicio hominum, sed hinnitu equi superatus sit: Iubet illos ex amicis exemplum capere, quid hostibus cauendum sit: Hortatur, non moenibus magis quam armis confidant, patianturque se commune bellum recentiore ira gerere. Nota nobilitas viri pariter & virtus omnibus erat:

nec

nec de fide timebant, cuius veluti pignora, vulnera corporis, & iniuriae notas habebant. Constituitur ergo dux omnium suffragio: & accepta parva manu, semel atque iterum cedentibus consulto Persis, secunda praelia facit: At postremo vniuersum sibi creditum exercitum Dario prodit, vrbemque ipsam in potestatem eius redigit. Post haec Darius bellum Scythis infert, quod sequenti volumine referetur.

LIBER II.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Scytharum origo & antiquitas, de qua cum Aegyptiis contendunt.*
2. *Descriptio Scythiae, & morum gentis, quae in plaustris degens iustitiam colit & continentiam.*
3. *Scytharum fortitudo bellica. Aegyptios fugant, Asiamque reddunt tributariam.*
4. *Amazonum a Scythis origo, reginae, res gestae.*
5. *Bellum Scytharum aduersus seruos, quos lepido strategemate reprimunt. Darius Scythis, deinde Ionibus & Athenienſibus arma infert.*

6. *Athe-*

6. *Athenienſium origo, gloriatio, induſtria, artes, Reges.*

7. *Reſpublica Athenienſis Solonis legibus & politico ſtrategemate firmata.*

8. *Piſiſtratus poſt fortiter geſta in Megarenſes tyrannidem per 33. annos occupat.*

9. *Eiusdem filius Hippias patria pulſus Perſarum exercitum in Graeciam adduxit. Inde nobilis illa Marathonia pugna, in qua victi Perſae. Athenienſes victores Duce Miltiade.*

10. *Diſſidium fraternum de regno inter Darii filios. Xerxes bellum aduerſus Graecos inſtaurat validiſſimo exercitu.*

11. *Fortitudine Spartanorum, quorum Rex Leonidas, Perſae ad Thermopylas maxima clade afficiuntur.*

12. *Themiſtoclis induſtria Perſarum claſſis ad Salaminium fretum nauali praelio victa, poſt multam ſtragem fuga ſibi conſulit.*

13. *Mardonio terreſtris exercitus commiſſus. Xerxes aegre euadit piſcatoria ſcapha: eiusdem pedeſtris exercitus fame obruitur: unde noua clades.*

14. *Mardonius in Bœotia ad Plataeas cum Perſis a Graecorum copiis victus, cum paucis profu-*

fugit. Eodem fere momento aduersus Persas in Asia feliciter dimicatum est.

15. *Athenienses, Spartanis delusis, vrbem ex integro restaurant. Spartani Persarum fines depopulantur. Pausanias defectionis reus damnatur. Aristides proditoris consilia discutit. Xerxes iterum arma mouet infeliciter, a Cymone nauali terrestriquæ praelio superatus.*

CAP. I.

In relatione rerum ab Scythis gestarum, quae satis amplae magnificaeque fuerunt, principium ab origine repetendum est. Non enim minus illustria initia, quam imperium habuere: nec virorum imperio magis, quam feminarum virtutibus claruere. Quippe cum ipsi Parthos Bactrianosque, feminae autem eorum Amazonum regna condiderint: prorsus vt res gestas virorum mulierumque considerantibus incertum sit, vter apud eos sexus illustrior fuerit. Scytharum gens antiquissima semper habita: quanquam inter Scythas & Aegyptios diu contentio de generis vetustate fuerit: Aegyptiis praedicantibus, initio rerum cum aliae terrae nimio feruore solis arderent, aliae rigerent frigoris immanitate, ita vt non modo primae generare homines, sed ne aduenas quidem recipere ac tueri possent, priusquam aduersus calorem vel frigus velamenta corporis inuenirentur, vel locorum

vitia

vitia quaesitis arte remediis mollirentur; Aegyptum ita temperatam semper fuisse, vt neque hiberna frigora, nec aestiui solis ardores incolas eius premerent; solum ita foecundum, vt alimentorum in vsum hominum nulla terra feracior fuerit. Iure igitur ibi primum homines natos videri debere, vbi educari facillime possent. Contra, Scythae caeli temperamentum, nullum esse vetustatis argumentum putabant: quippe naturam, cum primum incrementa caloris ac frigoris, regionibus distinxit, statim ad locorum patientiam, animalia quoque generasse: sed & arborum atque frugum pro regionum conditione, apte genera variata. Et quanto Scythis sit caelum asperius quam Aegyptiis, tanto & corpora & ingenia esse duriora. Caeterum si mundi, quae nunc partes sunt, aliquando vnitas fuit; siue illuvies aquarum principio rerum terras obrutas tenuit: siue ignis, qui & mundum genuit cuncta possedit; vtriusque primordii Scythas origine praestare. Nam si ignis prima possessio rerum fuit, qui paulatim exstinctus, sedem terris dedit, nullam prius quam Septentrionalem partem, hyemis rigore ab igne secretam; adeo vt nunc quoque nulla magis rigeat frigoribus. Aegyptum vero, & totum Orientem, tardissime temperatum: quippe qui etiam nunc torrenti calore solis exaestuet. Quodsi omnes quondam terrae submersae profundo fuerunt; profecto editissimam quamque partem decurrentibus aquis primum detectam; humillimo autem solo eandem aquam diutissime immoratam:

&

& quanto prior quaeque pars terrarum siccata sit, tanto prius animalia generare coepisse. Porro Scythiam adeo editiorem omnibus terris esse, vt cuncta flumina ibi nata in Maeotim, tum deinde in Ponticum & Aegyptium mare decurrant. Aegyptum autem, quae tot regum, tot seculorum cura impensaque munita sit, & aduersum vim incurrentium aquarum tantis structa molibus, tot fossis consciissa, vt cum his arceantur, illis recipiantur aquae; nihilominus coli, nisi excluso Nilo, non potuerit, non posse videri hominum vetustate vltimam, quae siue ex aggerationibus regum, siue Nili trahentis limum, terrarum recentissima videatur. His igitur argumentis superatis Aegyptiis, antiquiores semper Scythae visi.

CAP. II. Scythia autem in Orientem porrecta, includitur ab vno latere Ponto, & ab altero montibus Riphaeis: a tergo Asia & Phasi flumine. Multum in longitudinem & latitudinem patet. Hominibus inter se nulli fines. Neque enim agrum exercent: nec domus illis vlla, aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Vxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus, coriis, imbrium hiemisque causa tectis, pro domibus vtuntur. Iustitia gentis ingeniis culta, non legibus. Nullum scelus apud eos furto grauius: quippe sine tecti munimento pecora & armenta habentibus, quid salvum esset, si furari liceret? Aurum

rum & argentum non perinde ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle vescuntur, Lanae iis vsus ac vestium ignotus: & quanquam continuis frigoribus vrantur, pellibus tamen ferinis aut murinis vtuntur. Haec continentia illis morum quoque iustitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus. Quippe ibidem diuitiarum cupido est, vbi & vsus. Atque vtinam reliquis mortalibus similis moderatio, & abstinentia alieni foret: profecto non tantum bellorum per omnia secula terris omnibus continuaretur; neque plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio raperet. Prorsus vt admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Graeci longa sapientium doctrina, praeceptisque philosophorum consequi nequeunt; cultosque mores incultae barbariae collatione superari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam in his cognitio virtutis.

CAP. III. Imperium Asiae ter quaesiuere, ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti, aut inuicti mansere. Darium regem Persarum, turpi ab Scythia summouerunt fuga: Cyrum cum omni exercitu trucidauerunt: Alexandri Magni ducem Sopyriona pari ratione cum copiis vniuersis deleuerunt: Romanorum audiuere, non sensere arma. Parthicum & Bactrianum imperium ipsi condiderunt. Gens laboribus & bellis aspera: vires corporum immensae: Nihil parare quod amittere timeant: nihil victores praeter gloriam concupiscunt. Primus

mus Scythis bellum indixit Vexoris Rex Aegyptius, missis primo lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent. Sed Scythae iam ante de aduentu regis a finitimis certiores facti, legatis respondent: tam opulenti populi ducem stolide aduersus inopes occupasse bellum, quod magis domi fuerit illi timendum: quod belli certamen anceps, praemia victoriae nulla, damna manifesta sint. Igitur non exspectaturos Scythas dum ad se veniatur, cum tanto sibi plura in hoste concupiscenda sint; vltroque praedae ituros obuiam. Nec dicta res morata: quos cum tanta celeritate venire Rex addidicisset, in fugam vertitur, exercituque cum omni apparatu belli relicto, in regnum se recepit. Scythas ab Aegypto paludes prohibuere: inde reuersi, Asiam perdomitam vectigalem fecere, modico tributo, magis in titulum imperii, quam in victoriae praemium imposito. Quindecim annis pacandae Asiae immorati, vxorum flagitatione reuocantur, per legatos denunciantibus, ni redeant, sobolem se ex finitimis quaesituras, nec passuras vt in posteritatem Scytharum genus per feminas interciderit. His igitur Asia per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi tributi finem Ninus Rex Assyriorum imposuit.

CAP. IV. Sed apud Scythas medio tempore duo regii iuuenes, Ylinos & Scolopitus, per factionem optimatum, domo pulsi, ingentem iuuentutem secum traxere; & in Cappadociae ora, iuxta am-

amnem Thermodonta conſederunt, ſubiectosque Themiſcyreos campos occupauere. Ibi permultos annos ſpoliare finitimos aſſueti, conſpiratione populorum per inſidias trucidantur. Horum vxores, cum viderent exſilio additam orbitatem, arma ſumunt: finesque ſuos, ſummouentes primo, mox etiam inferentes bella, defendunt. Nubendi quoque finitimis animum omiſere; ſeruitutem, non matrimonium appellantes. Singulare omnium ſeculorum exemplum ausae, auxere rempublicam ſine viris: iam etiam cum contemtu virorum ſe tuentur. Et ne feliciores aliae aliis viderentur; viros qui domi remanſerant, interficiunt. Vltionem quoque caeſorum coniugum, excidio finitimorum conſequuntur. Tum pace armis quaeſita, ne genus interiret, concubitum finitimorum ineunt. Si qui mares naſcerentur, interficiebant. Virgines in eundem ipſis morem, non otio, neque lanificio; ſed armis, equis, venationibus exercebant, inuſtis infantum dexterioribus mammis, ne ſagittarum iactus impediretur: unde Amazones dictae ſunt. Duae his reginae fuere, Marthesia & Lampeto, quae in duas partes agmine diuiſo, inclytae iam opibus, vicibus gerebant bella, ſolae terminos alternis defendentes: & ne ſucceſſibus deeſſet auctoritas, genitas ſe Marte praedicabant. Itaque maiore parte Europae ſubacta, Aſiae quoque nonnullas civitates occupauere. Ibi Epheſo, multisque aliis vrbibus conditis, partem exercitus cum ingenti praeda domum dimittunt. Reliquae, quae ad tuen-

tuendum Asiae imperium remanserant, concursu barbarorum cum Marthesia regina interficiuntur. In huius locum filia eius Orithya regno succedit; cui praeter singularem belli scientiam, eximia seruatae in omne aeuum virginitatis admiratio fuit. Huius virtute tantum additum gloriae & famae Amazonum est, vt Herculi rex, cui XII. stipendia debebat, quasi impossibile, imperauerit, vt arma reginae Amazonum sibi afferret. Eo igitur profectus longis nouem nauibus, comitante principum Graeciae iuuentute, inopinantes aggreditur. Duae tum sorores, Amazonum regna tractabant, Antiope & Orithya: sed Orithya foris bellum gerebat. Igitur cum Hercules ad litus Amazonum applicuit; infrequens multitudo cum Antiopa regina, nihil hostile metuente, erat. Qua re effectum est, vt paucae repentino tumultu excitae, arma sumerent, facilemque victoriam hostibus darent. Multae itaque caesae captaeque, in his duae Antiopae sorores, Menalippe ab Hercule, Hippolyte a Theseo. Sed Theseus obtenta in praemium captiua, eandem in matrimonium assumsit, & ex ea genuit Hippolytum. Hercules post victoriam, Menalippen captiuam sorori reddidit, & pretium arma reginae accepit. Atque ita functus imperio, ad regem reuertitur. Sed Orithya, vbi comperit bellum sororibus illatum, & raptorem esse Athenienſium principem; hortatur comites, fruſtraque & Ponti ſinum, & Aſiam edomitam eſſe dicit, ſi Graecorum non tam bellis, quam rapinis pateant.

Au-

Auxilium deinde a Sagillo rege Scythiae petit. Genus se Scytharum esse: cladem virorum, necessitatem armorum, belli causas ostendit; assecutasque virtute, ne segniores viris feminas habere Scythae viderentur. Motus ille domestica gloria, mittit cum ingenti equitatu filium Panasagorum in auxilium. Sed ante praelium dissensione orta, ab auxiliis desertae, bello ab Athenienſibus vincuntur: receptaculum tamen habuere castra sociorum, quorum auxilio intactae ab aliis gentibus, in regnum reuertuntur. Post Orithyam, Penthesilea regno potita est, cuius Troiano bello inter fortissimos viros, cum auxilium aduersus Graecos ferret, magna virtutis documenta exstitere. Interfecta demum Penthesilea exercituque eius absumto; paucae, quae in regno remanserant, aegre se aduersus finitimos defendentes, vsque tempora Alexandri Magni durauerunt. Harum Minithya, siue Thalestris regina, concubitu Alexandri per dies VIII. ad sobolem ex eo generandam obtento, reuersa in regnum, breui tempore cum omni Amazonum nomine intercidit.

CAP. V. Scythae autem tertia expeditione Asiana, cum annis octo a coniugibus & liberis abfuissent, seruili bello domi excipiuntur. Quippe coniuges eorum longa exspectatione virorum fessae, nec iam teneri bello, sed deletos ratae, seruis ad custodiam pecorum relictis nubunt: qui reuersos cum victoria dominos, velut aduenas, armati fini-

bus prohibent. Quibus cum varia victoria fuisset, admonentur Scythæ mutare genus pugnae, memores non cum hostibus, sed cum seruis praeliandum; nec armorum, sed dominorum iure vincendos: verbera in aciem, non arma adferenda; omissoque ferro, virgas ac flagella, caeteraque seruilis metus paranda instrumenta. Probato omnes consilio, instructi sicut praeceptum erat, postquam ad hostem accessere, inopinantibus verbera intentant: adeoque illos perculerunt, vt quos ferro non poterant, metu verberum vincerent: fugamque non vt hostes victi, sed vt fugitiui serui capesserent. Quicunque capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt. Mulieres quoque male sibi conscíae, partim ferro, partim suspendio, vitam finierunt. Post haec pax apud Scythas fuit, vsque tempora Iancyri regis. Huic Darius Rex Persarum, sicut supra dictum est, cum filiae eius nuptias non obtinuisset, bellum intulit: & armatis septingentis millibus hominum Scythiam ingressus, non facientibus hostibus pugnae potestatem, metuens, nec interrupto ponte Istri, reditus sibi intercluderetur, amissis octoginta millibus hominum trepidus refugit: quae iactura, abundante multitudine, inter damna numerata non est. Inde Asiam & Macedoniam domuit: Iones quoque nauali prœlio superat. Deinde cognito quod Athenienses Ioniis auxilium contra se tulissent, omnem impetum belli in eos convertit.

CAP. VI.

CAP. VI. Nunc, quoniam ad bella Athienſium ventum eſt, quae non modo vltra ſpem gerendi, verum etiam vltra geſti fidem patrata ſunt, operaque Athenienſium effectu maiora quam voto fuere, paucis vrbis origo repetenda eſt; quia non, vt caeterae gentes, a ſordidis initiis ad ſumma creuere. Soli enim, praeterquam incremento, etiam origine gloriantur. Quippe non aduenae, neque paſſim collecta populi colluuies originem vrbi dedit: ſed eodem innati ſolo, quod incolunt; & quae illis ſedes, eadem origo eſt. Primi, lanificii & olei, & vini vſum docuere. Arare quoque, & ſerere frumenta, glandem veſcentibus monſtrarunt. Litterae certe ac facundia, & hic ciuilis ordo diſciplinae, veluti templum Athenas habent. Ante Deucalionis tempora regem habuere Cecropem: quem, vt omnis antiquitas fabuloſa eſt, biformem tradidere, quia primus marem feminae matrimonio iunxit. Huic ſucceſſit Cranaus, cuius filia Athis regioni nomen dedit. Poſt hunc Amphictyon regnauit, qui primus Minervae vrbem ſacrauit, & nomen ciuitati Athenas dedit. Huius temporibus, aquarum illuvies maiorem partem populorum Graeciae abſumſit. Superfuerunt, quos refugia montium receperunt, aut ad regem Theſſaliae Deucalionem ratibus euecti ſunt, a quo pr pterea genus hominum conditum dicitur. Per ordinem deinde ſucceſſionis regnum ad Erichtheum deſcendit, ſub quo frumenti ſatio apud Eleuſin a Triptolemo reperta eſt, in cuius muneris honorem nocles initiorum ſacra-

tae. Tenuit & Aegeus, Theseï pater, Athenis regnum, a quo per diuortium decedens Medea, propter adultam priuigni aetatem, Colchos cum Medio filio ex Aegeo suscepto, concessit. Post Aegeum Theseus, ac deinceps Thesei filius Demophoon, qui auxilium Graecis aduersus Troianos tulit, regnum possedit. Erant inter Athenienses & Dorienses *simultatium veteres offensae, quas vindicaturi bello Dorienses, de euentu praelii oracula consuluerunt. Responsum, superiores fore, ni regem Athenienſium occidissent. Cum ventum esset in bellum, militibus ante omnia custodia regis praecipitur. Athenienſibus eo tempore Rex Codrus erat; qui & responso Dei, & praeceptis hostium cognitis, permutato regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens, castra hostium ingreditur: ibi in turba obsistentium, a milite, quem falce astu conuulnerauerat, interficitur. Cognito regis corpore, Dorienses sine praelio discedunt. Atque ita Athenienses virtute ducis, pro salute patriae morti se offerentis, bello liberantur.

* alii: simultatum.

CAP. VII. Post Codrum nemo Athenis regnauit: quod memoriae nominis eius tributum est. Administratio reipublicae annuis magistratibus permissa. Sed ciuitati nullae tunc leges erant: quia libido regum pro legibus habebatur. Legitur itaque Solon vir iustitiae insignis, qui velut nouam ciuitatem legibus conderet: qui tanto temperamento inter plebem senatumque egit (cum, si quid

pro

pro altero ordine tuliſſet, alteri diſpliciturum videretur) vt ab vtrisque parem gratiam traheret. Huius viri inter multa egregia, illud memorabile fuit. Inter Athenienſes & Megarenſes de proprietate Salaminae inſulae, prope vsque interitum armis dimicatum fuerat. Poſt clades multas capitale eſſe apud Athenienſes cœpit, ſi quis legem de vindicanda inſula tuliſſet. Sollicitus igitur Solon, ne aut tacendo, parum reipublicae conſuleret; aut cenſendo, ſibi: ſubitam dementiam ſimulat, cuius venia non dicturus modo prohibita, ſed & facturus erat. Deformis habitu, more vecordium in publicum euolat; factoque concurſu hominum, quo magis conſilium diſſimularet, inſolitis ſibi verſibus ſuadere populo cœpit, quod vetabatur: omniumque animos ita cœpit, ut extemplo bellum aduerſus Megarenſes decerneretur, inſulaque deuictis hoſtibus Athenienſium fieret.

CAP. IIX. Interea Megarenſes, memores illati Athenienſibus belli, &* deſerti, ne fruſtra armæ mouiſſe viderentur, matronas Athenienſium in Eleuſinis ſacris noctu oppreſſuri naues conſcendunt. Qua re cognita, dux Athenienſium Piſiſtratus iuventutem in inſidiis locat, iuſſis matronis ſolito clamore ac ſtrepitu, etiam in acceſſu hoſtium, ne intellectos ſe ſentiant, ſacra celebrare: egreſſosque nauibus Megarenſes inopinantes aggreſſus, delevit: ac protinus claſſe captiua intermixtis mulieribus, vt ſpeciem captarum matronarum praebe-

*alii: veriti.

rent, Megaram contendit. Illi cum & nauium formam, & petitam praedam cognoscerent, obuii ad portum procedunt, quibus caesis, Pisistratus paulum a capienda vrbe abfuit. Ita Megarenses suis dolis hosti victoriam dedere. Sed Pisistratus, quasi sibi, non patriae vicisset, tyrannidem per dolum occupat: quippe voluntariis verberibus domi affectus, laceratoque corpore, in publicum progreditur: aduocata concione vulnera populo ostendit: de crudelitate principum, a quibus haec se passum simulabat, queritur: adduntur vocibus lacrymae, & inuidiosa oratione multitudo credula accenditur: amore plebis inuisum se senatui affirmat: obtinet ad custodiam corporis sui satellitum auxilium; per quos occupata tyrannide per annos XXXIII. regnauit.

CAP. IX. Post eius mortem Diocles, alter ex filiis, per vim stuprata virgine, a fratre puellae interficitur. Alter, Hippias nomine, cum imperium paternum teneret, interfectorem fratris comprehendi iubet: qui cum per tormenta conscios caedis nominare cogeretur, omnes amicos tyranni nominauit: quibus interfectis, quaerenti tyranno, an adhuc aliqui conscii essent; neminem ait superesse, quem amplius mori gestiat, quam ipsum tyrannum, qua voce eiusdem se tyranni victorem, post vindictam pudicitiae sororis ostendit. Huius virtute cum admonita ciuitas libertatis esset, tandem Hippias regno pulsus, in exilium agitur: qui profectus

fectus in Persas, ducem se Dario, inferenti Athenienſibus bellum, ſicuti ſupra ſignificatum eſt, adverſus patriam ſuam offert. Igitur Athenienſes, audito Darii aduentu, auxilium a Lacedaemoniis, ſocia tum ciuitate, petiuerunt. Quos vbi viderunt quatridui teneri religione, non exſpectato auxilio, inſtructis decem millibus ciuium, & Plataeenſibus auxiliaribus mille, aduerſus ſexcenta millia hoſtium, in campos Marathonios in praelium egrediuntur. Miltiades & dux belli erat, & auctor non exſpectandi auxilii; quem tanta fiducia ceperat, vt plus praeſidii in celeritate, quam in ſociis duceret. Magna igitur in pugnam euntibus alacritas animorum fuit, adeo vt cum mille paſſus inter duas acies eſſent, citato curſu ante iactum ſagittarum ad hoſtes venerint. Nec audacia eius euentus defuit. Pugnatum eſt enim tanta virtute, vt hinc viros, inde pecudes putares. Victi Perſae in naues confugerunt; ex quibus multae ſuppreſſae, multae captae ſunt. In eo praelio tanta virtus ſingulorum fuit, vt cuius laus prima eſſet, difficile iudicium videretur. Inter caeteros tamen Themiſtoclis adoleſcentis gloria emicuit, in quo iam tunc indoles futurae imperatoriae dignitatis apparuit. Cynaegiri quoque militis Athenienſis gloria magnis ſcriptorum laudibus celebrata eſt; qui poſt praelii innumeras caedes, cum fugientes hoſtes ad naues egiſſet, onuſtam navem dextra manu tenuit, nec prius dimiſit, quam (manum) amitteret: tum quoque amputata dextra, nauem ſiniſtra compre-

hendit; quam & ipsam cum amississet, ad postremum morsu nauem detinuit. Tantam in eo virtutem fuisse, vt non tot caedibus fatigatus; non duabus manibus amissis victus; truncus ad postremum, veluti & rabida fera, dentibus dimicauerit. Ducenta millia Persae eo praelio, siue naufragio, amisere. Cecidit & Hippias, tyrannus Atheniensis; auctor & concitor eius belli, diis patriae vltoribus poenas repetentibus.

CAP. X. Interea & Darius, cum bellum reflauraret, in ipso apparatu decedit, relictis multis filiis, & in regno, & ante regnum susceptis. Ex his Artemenes maximus natu, aetatis priuilegio, regnum sibi vendicabat; quod ius, & ordo nascendi, & natura ipsa gentibus (dedit.) Porro Xerxes controuersiam non de ordine, sed de nascendi felicitate referebat. Namque Artemenem primum quidem Dario, sed priuato prouenisse: se regi primum natum. Fratres itaque suos, qui ante geniti essent, priuatum patrimonium, quod eo tempore Darius habuisset, non regnum sibi vindicare posse: se esse, quem primum in regno iam rex pater sustulerit. Huc accedere, quod Artemenes non patre tantum, sed & matre priuatae adhuc fortunae, auo quoque materno priuato, procreatus sit, se vero & matre regina natum; & patrem non nisi regem vidisse; auum quoque maternum Cyrum se regem habuisse, non heredem, sed conditorem tanti regni: & si in aequo iure vtrumque fratrem pater reliquis-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0038
DFG

liquisset, materno tamen se iure & auito vincere. Hoc certamen concordi animo ad patruum suum Artaphernem, veluti ad domesticum iudicem, deferunt; qui domi cognita causa, Xerxem praeposuit: adeoque fraterna contentio fuit, vt nec victor insultauerit, nec victus doluerit; ipsoque litis tempore inuicem munera miserint; iucunda quoque inter se non solum, sed credula conuiuia habuerint; iudicium quoque ipsum sine arbitris, sine conuicio fuerit. Tanto moderatius tum fratres inter se regna maxima diuidebant, quam nunc exigua patrimonia partiuntur. Igitur Xerxes bellum a patre cœptum aduersus Graeciam quinquennium instruxit. Quod vbi primum didicit Demaratus, rex Lacedaemoniorum, qui apud Xerxem exsulabat, amicior patriae post fugam, quam regi post beneficia, ne inopinato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis magistratui perscribit, eademque cera superinducta delet: ne aut scriptura sine tegmine indicium daret, aut recens cera dolum proderet: fido deinde seruo perferendas tradit, iusso, magistratui Spartanorum tradere. Quibus perlatis, Lacedaemone quaestioni res diu fuit, quod neque scriptum aliquid viderent, nec frustra missas suspicarentur, tantoque rem maiorem, quanto sit occultior, putabant. Haerentibus in coniectura viris, soror regis Leonidae consilium scribentis invenit. Erasa igitur cera, belli consilia detegunturi. Iam Xerxes septingenta millia de regno armauerat, & trecenta millia de auxiliis: ut non im-

merito proditum sit, flumina ab exercitu eius siccata, Graeciamque omnem vix capere exercitum eius potuisse. Naues quoque mille ducentas numero habuisse dicitur. Huic tanto agmini dux defuit. Caeterum si regem spectes; diuitias, non ducem laudes: quarum tanta copia in regno eius fuit, vt cum flumina multitudine consumerentur, opes tamen regiae supersessent. Ipse autem primus in fuga, postremus in praelio semper visus est; in periculis timidus; sic vbi metus abesset, inflatus; denique ante experimentum belli, fiducia virium, veluti naturae ipsius dominus, & montes in planum ducebat; & conuexa vallium aequabat; & quaedam maria pontibus sternebat: quaedam ad nauigationis commodum per compendium ducebat.

CAP. XI. Cuius introitus in Graeciam quam terribilis, tam turpis ac fœdus discessus fuit. Nam cum Leonida Rex Spartanorum cum quatuor millibus militum angustias Thermopylarum occupasset, Xerxes contemtu paucitatis, eos pugnam capessere iubet, quorum cognati Marathonia pugna interfecti fuerant; qui dum vlcisci suos quaerunt, principium cladis fuere: succedente deinde inutili turba, maior caedes editur. Triduo ibi cum dolore & indignatione Persarum dimicatum: quarta die, quum nunciatum esset Leonidae, a XX. millibus hostium summum cacumen teneri, tunc hortatur socios, recedant, & se ad meliora patriae tempora reseruent; sibi cum Spartanis fortunam experien-

riendam; plura se patriae quam vitae debere: caeteros ad praesidia Graeciae seruandos. Audito regis imperio discessere caeteri, soli Lacedaemonii remanserunt. Initio huius belli scisitantibus Delphis oracula responsum fuerat, aut regi Spartanorum, aut vrbi cadendum. Et idcirco Rex Leonida, cum in bellum proficisceretur, ita suos firmauerat, vt ire se parato ad moriendum animo scirent. Angustias propterea occupauerat, vt cum paucis aut maiore gloria vinceret, aut minore damno reipublicae caderet. Dimissis igitur sociis, hortatur Spartanos, meminerint, qualitercunque praeliantibus cadendum esse: cauerent, ne fortius mansisse, quam dimicasse videantur; nec exspectandum, vt ab hoste circumuenirentur, sed dum nox occasionem daret, securis & laetis superueniendum: nusquam victores honestius, quam in castris hostium perituros. Nihil erat difficile persuadere persuasis mori: statim arma capiunt; & sexcenti viri castra quingentorum millium irrumpunt; statimque regis praetorium petunt, aut cum illo, aut si ipsi oppressi essent, in ipsius potissimum sede morituri. Tumultus totis castris oritur. Spartani, posteaquam regem non inueniunt, per omnia castra victores vagantur; caedunt, sternuntque omnia: vt qui sciant, se pugnare non spe victoriae, sed in mortis vltionem. Praelium a principio noctis in maiorem partem diei tractum. Ad postremum non victi, sed vincendo fatigati, inter ingentes stratorum hostium cateruas occiderunt. Xerxes duo-

bus vulneribus terrestri praelio acceptis, experiri maris fortunam statuit.

CAP. XII. Sed Athenienſium dux Themiſtocles, cum animaduertiſſet, Iones, propter quos bellum Perſarum ſuſceperant, in auxilium Regis claſſe veniſſe; ſollicitare eos in partes ſuas ſtatuit. Et cum colloquendi copiam non haberet, quo applicituri erant, ſymbolos proponi, & ſaxis proſcribi curat: Quae vos Iones dementia tenet? quod facinus agitatis? bellum inferre olim conditoribus veſtris, nuper etiam vindicibus, cogitatis? An ideo moenia veſtra condidimus, vt eſſent, qui noſtra delerent? quid ſi non haec & Dario prius, & nunc Xerxi, belli cauſa nobiscum foret, quod vos rebellantes non deſtituimus? Quin vos in haec noſtra caſtra ex iſta obſidione tranſitis? Aut ſi hoc parum tutum exſtat, vos commiſſo paerlio ite ceſſim, inhibete remos, & a bello diſcedite. Ante naualis praelii congreſſionem miſerat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos, ad templum Apollinis diripiendum: prorſus, quaſi non cum Graecis tantum, ſed & cum diis immortalibus bellum gereret: quae manus tota imbribus & fulminibus deleta eſt, vt intelligeret, quam nullae eſſent hominum aduerſus Deos vires. Poſt haec Theſpias, & Plataeas, & Athenas vacuas hominibus incendit: & quoniam ferro in homines non poterat, in aedificia igne graſſatur. Namque Athenienſes poſt pugnam Marathoniam, praemonente Themiſtocle, victoriam illam

illam de Persis, non finem, sed causam maioris belli fore, CC. naves fabricauerant. Aduentante igitur Xerxe, consulentibus Delphis oraculum, responsum fuerat; salutem muris ligneis tuerentur. Themistocles nauium praesidium demonstratum ratus, persuadet omnibus, Patriam municipes esse, non moenia; ciuitatemque non in aedificiis, sed in ciuibus positam. Melius itaque salutem nauibus, quam vrbi commissuros. Huius sententiae etiam Deum auctorem esse. Probato consilio, coniuges liberosque cum pretiosissimis rebus, abditis insulis, relicta vrbe, demandant: ipsi naues armati conscendunt. Exemplum Athenienſium & aliae vrbes imitatae. Itaque cum adunata omnis sociorum classis, & intenta in bellum nauale esset; angustiasque Salaminii freti, ne circumueniri a multitudine posset, occupassent; dissensio inter ciuitatum principes oritur: qui cum deserto bello ad sua tuenda delabi vellent, timens Themistocles, ne discessu sociorum vires minuerentur, per seruum fidum Xerxi nuntiat, vno in loco eum contractam Graeciam capere facillime posse. Quod si ciuitates, quae iam abire vellent, dissipentur; maiore labore ei singulas consectandas. Hoc dolo impellit regem signum pugnae dare. Graeci quoque aduentu hostium occupati, praelium collatis viribus capessunt. Interea rex, velut spectator pugnae, cum parte nauium in litore remanet. Artemisia autem regina Halicarnassi, quae in auxilium Xerxi venerat, inter primos duces bellum acerrime ciebat:

Quippe vt in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres. Cum anceps praelium esset, Iones iuxta praeceptum Themistoclis, pugnae se paulatim subtrahere coeperunt, quorum defectio animos caeterorum fregit. Itaque circumspicientes fugam pelluntur Persae, & mox praelio victi, in fugam vertuntur. In qua trepidatione multae captae naues, multae mersae; plures tamen non minus saeuitiam regis quam hostem timentes, domum dilabuntur.

CAP. XIII. Hac clade perculsum, & dubium consilii Xerxem Mardonius aggreditur. Hortatur in regnum abeat, ne quid seditionis moueat fama aduersi belli, & in maius, sicuti mos est, omnia extollens: sibi CCC. millia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat; qua manu aut cum gloria eius perdomiturum se Graeciam: aut si aliter euentus ferat, sine eiusdem infamia hostibus cessurum. Probato consilio, Mardonio exercitus traditur: reliquas copias rex ipse reducere in regnum parat. Sed Graeci audita regis fuga, consilium ineunt pontis interrumpendi, quem ille Abydo veluti victor maris fecerat; vt intercluso reditu, aut cum exercitu deleretur: aut desperatione rerum, pacem victus petere cogeretur. Sed Themistocles, timens, ne intercluſi hostes desperationem in virtutem verterent, & iter quod aliter non pateret, ferro patefacerent; satis multos hostes in Graecia remanere dictitans, nec augeri numerum retinendo

opor-

oportere; cum vincere consilio caeteros non posset, eundem seruum ad Xerxem mittit, certioremque consilii facit; & occupare transitum maturata fuga iubet. Ille perculsus nuntio, tradit ducibus milites perducendos; ipse cum paucis Abydon contendit. Vbi cum solutum pontem hybernis tempestatibus offendisset, piscatoria scapha trepidus traiecit. Erat res spectaculo digna, & aestimatione sortis humanae, rerum varietate miranda in exiguo latentem videre nauigio, quem paulo ante vix aequor omne capiebat; carentem etiam omni seruorum ministerio, cuius exercitus propter multitudinem terris graues erant. Nec pedestribus copiis, quas ducibus assignauerat, felicius iter fuit: siquidem quotidiano labori (neque enim vlla est metuentibus quies) etiam fames accesserat. Multorum deinde dierum inopia contraxerat & pestem; tantaque foeditas morientium fuit, vt viae cadaueribus implerentur, alitesque & bestiae* illecebris sollicitatae exercitum sequerentur.

* alii: escae illecebris.

CAP. XIV. Interim Mardonius in Graecia Olynthum expugnat. Athenienses quoque in spem pacis, amicitiamque regis sollicitat, spondens incensae eorum vrbis etiam in maius restitutionem. Posteaquam nullo pretio libertatem videt his venalem, incensis quae aedificare coeperant, copias in Boeotiam transfert: Eo & graecorum exercitus, qui centum millium fuit, sequutus est: ibique praelium commissum. Sed fortuna regis cum duce mutata non est.

est. Nam victus Mardonius, veluti ex naufragio cum paucis profugit. Castra referta regalis opulentiae capta. Vnde primum Graecos, diuiso inter se auro persico, diuitiarum luxuria cepit. Eodem forte die, quo Mardonii copiae deletae sunt, etiam nauali praelio in Asia sub monte Mycale, aduersus Persas dimicatum est. Ibi ante congressionem, cum classes ex aduerso starent, fama ad vtrumque exercitum venit, vicisse Graecos, & Mardonii copias occidione occidisse. Tantam famae velocitatem fuisse, vt cum matutino tempore praelium in Boeotia commissum sit, meridianis horis in Asiam, per tot maria, & tantum spatii, tam breui horarum momento, de victoria nunciatum sit. Confecto bello, cum de praemiis ciuitatium ageretur, omnium iudicio, Athenienſium virtus caeteris praelata. Inter duces quoque Themistocles, princeps ciuitatum testimonio indicatus, gloriam patriae suae auxit.

CAP. XV. Igitur Athenienses aucti, & praemiis belli, & gloria, vrbem ex integro condere moliuntur. Cum moenia maiora complexi fuissent, suspecti esse Lacedaemoniis coepere, recte reputantibus, quibus ruina vrbis tantum incrementi dedisset, quantum sit datura munita ciuitas. Mittunt ergo legatos, qui monerent, ne munimenta hostibus & receptacula futuri belli exstruant. Themistocles, vt vidit spei vrbis inuideri, non existimans abrupte agendum, respondit legatis, ituros Lacedaemonem, qui de ea re pariter cum illis consulant.

Sic

Sic dimissis Spartanis, hortatur suos, opus maturent. Dein ipse interiecto tempore in legationem proficiscitur, & nunc in itinere infirmitate simulata, nunc tarditatem collegarum accusans, sine quibus agi iure nihil possit, diem de die proferendo, spatium consummando operi quaerebat; cum interim nunciatur Spartanis, opus Athenis maturari; propter quod denuo legatos mittunt ad inspiciendam rem. Tum Themistocles per seruum magistratibus scribit Athenienſium, legatos vinciant, pignusque teneant, ne in se grauius consulatur. Adiit deinde concionem Lacedaemoniorum; indicat permunitas Athenas esse, & posse iam illatum bellum non armis tantum, sed etiam muris sustinere: Si quid ob eam rem de se crudelius statuerent, legatos eorum in hoc pignus Athenis retentos. Grauiter deinde castigat eos, quod non virtute sed imbecillitate sociorum, potentiam quaererent. Sic dimissus, veluti triumphatis Spartanis, a ciuibus excipitur. Post haec Spartani, ne vires otio corrumperent, & vt bis illatum a Persis Graeciae bellum vlciscerentur, vltro fines eorum depopulantur. Ducem suo, sociorumque exercitui diligunt Pausaniam, qui pro ducatu, regnum Graeciae affectans, proditionis praemium cum Xerxe, nuptias filiae eius paciscitur, redditis captiuis, vt fides Regis aliquo beneficio obstringeretur. Scribit praeterea Xerxi, quoscunque ad se nuntios misisset, interficeret; ne res loquacitate hominum proderetur. Sed dux Athenienſium Aristides, belli socius, collegae co-

conatibus obuiam eundo, simul & in rem sapienter consulendo, proditionis consilia discussit. Nec multo post accusatus Pausanias, damnatur. Igitur Xerxes, cum proditionis dolum publicatum videret, ex integro bellum instituit. Graeci quoque ducem constituunt Cimonem Atheniensem, filium Miltiadis, quo duce apud Marathonem pugnatum est, iuuenem, cuius magnitudinem futuram pietatis documenta prodiderunt. Quippe patrem ob crimen peculatus in carcerem coniectum, ibique defunctum, translatis in se vinculis ad sepulturam redemit. Nec in bello iudicium deligentium fefellit: siquidem non inferior virtutibus patris Xerxem terrestri naualique bello superatum, trepidum recipere se in regnum coëgit.

LIBER III.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Xerxis & Atabani praefecti perfidi tragicus interitus.*
2. *Bellorum inter Lacedaemonios & Atheniensis origo. Spartae Respublica, & Legislator.*
3. *Leges a Lycurgo Spartanis latae, quomodo ratae fiant & habeantur?*

4. Bel-

4. *Bellum Messeniis illatum ob stupratas virgines & spuriorum Spartanorum in Italiam migratio.*
5. *Messenii scelerum suorum luunt poenas; & bellum instaurant ac tandem superantur.*
6. *Tertium bellum Messenium, Peloponnesiacum item, in quo multae euentuum variorum facies.*
7. *Pacis foedus ruptum. Spartani premuntur Periclis virtute, cuius egregia in rempublicam merita describuntur. Iterum pax sancita & violata: vnde bellum Siculum.*

CAP. I.

Xerxes Rex Persarum, terror antea gentium, bello in Graeciam infeliciter gesto, etiam suis contemtui esse coepit. Quippe Artabanus praefectus eius, deficiente quotidie regis maiestate, in spem regni adductus, cum septem robustissimis filiis regiam vesperi ingreditur, (nam amicitiae iure semper illi patebat) trucidatoque rege, voto suo obsistentes filios eius, dolo aggreditur. Securior de Artaxerxe, puero admodum, fingit regem a Dario, qui erat adolescens, quo maturius regno potiretur, occisum; impellit Artaxerxem, parricidium parricidio vindicare. Cum ventum ad domum Darii esset, dormiens inuentus, quasi somnum fingeret, interfici-

ficitur. Dein cũm vnum ex regis filiis sceleri suo superesse Artabanus videret, metueretque de regno certamina principum; assumit in societatem consilii Bacabasum, qui praesenti statu contentus, rem prodit Artaxerxi, ut pater eius occisus; vt frater falsa parricidii suspicione oppressus; vt denique ipsi pararentur insidiae. His cognitis Artaxerxes, verens Artabani numerum filiorum, in posterum diem paratum esse armatum exercitum iubet, recogniturus & numerum militum, & in armis industriam singulorum. Itaque cum inter caeteros & ipse Artabanus armatus assisteret, rex simulat se breuiorem loricam habere: iubet Artabanum secum commutare: exuentem se, ac nudatum, gladio traiicit: Tum & filios eius corripi iubet. Atque ita egregius adolescens, & caedem patris, & se ab insidiis Artabani vindicauit.

CAP. II. Dum haec in Persis geruntur, interea Graecia omnis, ducibus Lacedaemoniis & Athenienſibus, in duas diuisa partes, ab externis bellis, velut in viscera sua, arma conuertit. Fiunt igitur de vno populo duo corpora; & eorundem castrorum homines, in duos hostiles exercitus diuiduntur. Hinc Lacedaemonii communia quondam ciuitatium auxilia ad vires suas trahebant: inde Athenienses, & vetustate gentis, & gestis rebus illustres, propriis viribus confidebant. Atque ita duo potentissimi Graeciae populi, institutis Solonis, & Lycurgi legibus pares, ex aemulatione virium

rium in bellum ruebant. Namque Lycurgus cum fratri suo Polybitae Spartanorum regi successisset, regnumque sibi vindicare potuisset, Charillo, filio eius, qui natus postumus fuerat, cum ad aetatem adultam peruenisset, regnum summa fide restituit: vt intelligerent omnes, quanto plus apud bonos pietatis iura, quam omnes opes valerent. Medio igitur tempore dum infans conualescit, tutelamque eius administrat, non habentibus Spartanis leges instituit, non inuentione earum magis, quam exemplo clarior: Si quidem nihil lege vlla in alios sanxit, cuius non ipse primus in se documenta daret. Populum in obsequia principum, principes ad iustitiam imperiorum formauit. Parcimoniam omnibus suasit, existimans, laborem militiae, assidua frugalitatis consuetudine faciliorem fore. Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium iussit, Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam, sustulit.

CAP. III. Administrationem reipublicae per ordines diuisit: Regibus potestatem bellorum, magistratibus iudicia per annuas successiones; Senatui custodiam legum; populo sublegendi Senatum, vel creandi quos vellet magistratus, potestatem permisit. Fundos omnium aequaliter inter omnes diuisit, vt aequata patrimonia neminem potentiorem altero redderent. Conuiuari omnes publice iussit, ne cuius diuitiae vel luxuria in occulto essent. Iuuenibus non amplius vna veste vti toto anno permi-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0051
DFG

misit, nec quenquam cultius quam alterum progredi, nec epulari opulentius, ne imitatio in luxuriam verteretur. Pueros puberes non in forum, sed in agrum deduci praecepit, vt primos annos non in luxuria, sed in opere, & laboribus agerent. Nihil eos somni causa substernere, & vitam sine pulmento degere, neque prius in vrbem redire, quam viri facti essent, statuit. Virgines sine dote nubere iussit, vt vxores eligerentur, non pecuniae; seueriusque matrimonia sua viri coërcerent, cum nullis dotis fraenis tenerentur. Maximum honorem non divitum & potentium, sed pro gradu aetatis senum esse voluit: Nec sane vsquam terrarum locum honoratiorem senectus habet. Haec quoniam primo, solutis antea moribus, dura videbat esse, auctorem eorum Apollinem Delphicum fingit, & inde se ea ex praecepto numinis detulisse, vt consuescendi taedium metus religionis vincat. Dein vt aeternitatem legibus suis daret, iureiurando obligat ciuitatem, nihil eos de eius legibus mutaturos, priusquam reuerteretur: & simulat se ad oraculum Delphicum proficisci, consulturum, quid addendum mutandumque legibus videretur. Proficiscitur autem Cretam, ibique perpetuum exsilium egit, abiicique in mare ossa sua moriens iussit, ne relatis Lacedaemonem, solutos se Spartani religione iurisiurandi in dissoluendis legibus arbitrarentur.

CAP. IV. His igitur moribus ita breui ciuitas conualuit, vt cum Messeniis propter stupratas vir-

virgines suas, in sollemni Messeniorum sacrificio, bellum intulissent, grauissima se exsecratione obstrinxerint, non prius quam Messeniam expugnassent, reuersuros; tantum sibi vel de viribus suis, vel de fortuna spondentes. Quae res initium dissensionis Graeciae, & intestini belli causa & origo fuit. Itaque cum contra praesumtionem suam annis decem in obsidione vrbis tenerentur, & querelis vxorum post tam longam viduitatem reuocarentur: veriti, ne hac perseuerantia belli, grauius sibi quam Messeniis nocerent: quippe illis quantum iuuentutis bello intercidat, mulierum foecunditate suppleri; sibi & belli damna assidua, & foecunditatem vxorum, absentibus viris, nullam esse: itaque legunt iuuenes ex eo genere militum, qui post iusiurandum in supplementum venerant, quibus Spartam remissis promiscuos omnium feminarum concubitus permisere: maturiorem futuram conceptionem rati, si eam singulae per plures viros experirentur. Ex his nati, ob notam materni pudoris, Partheniae vocati, qui cum ad annos xxx. peruenissent, metu inopiae (nulli enim pater existebat, cuius in patrimonium successio speraretur) ducem Palantum assumunt, filium Araci, qui auctor Spartanis fuerat, iuuentutis ad generandam sobolem domum remittendae: vt sicuti dudum patrem eius nascendi auctorem habuissent, sic ipsum spei ac dignitatis suae haberent. Itaque nec salutatis matribus, e quarum adulterio infamiam collegisse videbantur, ad sedes inquirendas proficiscun-

scuntur; diuque & per varios casus iactati, tandem in Italiam deferuntur, & occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, sedes ibi constituunt. Sed post annos plurimos dux eorum Palantus, per seditionem in exsilium proturbatus, Brundusium se contulit, quo expulsi sedibus suis veteres Tarentini concesserant. His moriens persuadet, vt ossa sua, postremasque reliquias conterant, & tacite spargi in foro Tarentinorum curent. Hoc enim modo recuperare illos patriam suam posse, Apollinem Delphis ceciniſſe. Illi arbitrantes eum in vltionem sui, ciuium fata prodidiſſe, praeceptis paruere: sed oraculi diuersa sententia fuerat. Perpetuitatem enim vrbis, non amissionem hoc facto promiserat. Ita ducis exsulis consilio, & hostium ministerio, possessio Tarentina Partheniis in aeternum fundata, ob cuius beneficii memoriam Palanto diuinos honores decreuere.

CAP. V. Interea Messenii, cum virtute non possent, per insidias expugnantur. Dein cum per annos LXXX. grauia seruitutis verbera, plerumque & vincula, caeteraque captiuitatis mala perpessi essent, post longam poenarum patientiam, bellum restaurant. Lacedaemonii quoque eo conspiratius ad arma concurrunt, *quo aduersus seruos dimicaturi videbantur. Itaque cum hinc iniuria, inde indignitas animos acueret; Lacedaemonii de belli euentu oraculo Delphis consulto, iubentur

*quod du-

ducem belli ab Athenienſibus petere. Porro Athenienſes, cum reſponſum cognouiſſent, in contemtum Spartanorum Tyrtaeum poetam claudum pede miſere: qui tribus praeliis fuſus, eo vsque deſperationis Spartanos adduxit, vt ad ſupplementum exercitus ſeruos ſuos manumitterent, hisque interfectorum matrimonia pollicerentur; vt non numero tantum amiſſorum ciuium, ſed & dignitati ſuccederent. Sed reges Lacedaemoniorum, ne contra fortunam pugnando, maiora detrimenta ciuitati infligerent, reducere exercitum voluerunt; ni interueniſſet Tyrtæus; qui compoſita carmina exercitui pro concione recitauit; in quibus hortamenta virtutis, damnorum ſolatia, belli conſilia conſcripſerat. Itaque tantum ardorem militibus iniecit, vt non de ſalute, ſed de ſepultura ſolliciti, teſſeras, inſculptis ſuis & patrum nominibus, dextro brachio deligarent; vt ſi omnes aduerſum praelium conſumſiſſet, & temporis ſpatio confuſa corporum lineamenta eſſent, ex indicio titulorum tradi ſepulturae poſſent. Cum ſic animatum reges exercitum viderent, curant rem hoſtibus nunciari. Meſſeniis autem non timorem res, ſed aemulationem mutuam dedit. Itaque tantis animis concurſum eſt, vt raro vnquam cruentius praelium fuerit. Ad poſtremum tamen victoria Lacedaemoniorum fuit.

CAP. VI. Interiecto tempore tertium quoque bellum Meſſenii reparauere: in cuius auxilium Lace-

cedaemonii inter reliquos socios etiam Athenienses adhibuere: quorum fidem cum suspectam haberent, superuacaneos simulantes, a bello eosdem dimiserunt. Hanc rem Athenienses graviter ferentes, pecuniam, quae erat in stipendium Persici belli ab vniuersa Graecia collata, a Delo Athenas transferunt, ne deficientibus a fide societatis Lacedaemoniis, praedae ac rapinae esset. Sed nec Lacedaemonii quieuere: qui cum Messeniorum bello occupati essent, Peloponnenses immisere, qui bellum Athenienſibus facerent. Paruae tunc temporis, classe in Aegyptum missa, vires Athenienſibus erant: Itaque nauali praelio dimicantes, facile superantur. Interiecto deinde tempore, post reditum suorum aucti & classis & militum robore, praelium reparauere. Iam & Lacedaemonii, omissis Messeniis, aduersus Athenienses arma verterant. Diu varia victoria fuit: ad postremum aequo Marte vtrinque discessum. Inde reuocati Lacedaemonii ad Messeniorum bellum, ne medium tempus otiosum Athenienſibus relinquerent, cum Thebanis paciscuntur, vt Boeotiorum imperium his restituerent, quod temporibus Persici belli amiserant, vt illi Athenienſium bella susciperent. Tantus furor Spartanorum erat, vt duobus bellis impliciti, suscipere tertium non recusarent, dummodo inimicis suis hostes acquirerent. Igitur Athenienses aduersus tantam tempestatem belli duos duces deligunt, Periclem spectatae virtutis virum, & Sophoclem scriptorem tragoediarum: qui diuiso exercitu,

tu, & Spartanorum agros vastauerunt, & multas Achaiae ciuitates Athenienſium imperio adiecerunt.

CAP. VII. His malis fracti Lacedaemonii, in annos XXX. pepigerunt pacem; ſed tam longum otium inimicitiae non tulerunt. Ita quintodecimo anno, rupto foedere, cum contemtu deorum hominumque, fines Atticos populantur: Et ne praedam potius, quam pugnam expetiſſe viderentur, hoſtes ad praelium prouocant. Sed Athenienſes, conſilio Periclis ducis, populationis iniuriam differunt in tempus vltionis; Superuacuam pugnam exiſtimantes, cum vlciſci hoſtem ſine periculo poſſent. Deinde interiectis diebus, naues conſcendunt, & nihil ſentientibus Lacedaemoniis, totam Spartam depraedantur, multoque plura auferunt, quam amiſerant. Prorſus vt in comparatione damnorum, longe pluris fuerit vltio, quam iniuria. Clara quidem haec Periclis expeditio habita: ſed multo clarior priuati patrimonii contemtus fuit. Huius agros, in populatione caeterorum, intactos, hoſtes reliquerant, ſperantes acquirere ſe illi poſſe, aut periculum ex inuidia, aut ex ſuſpicione proditionis infamiam. Quod ante proſpiciens Pericles, & futurum populo praedixerat, & ad inuidiae impetum declinandum, agros ipſos dono reipublicae dederat. Atque ita, vnde periculum quaeſitum fuerat, ibi maximam gloriam inuenit. Poſt haec interiectis diebus, na-

vali praelio dimicatum est: victi Lacedaemonii fugerunt. Nec cessatum deinceps est, quin aut terra, aut mari, varia praeliorum fortuna inuicem se trucidarent. Denique fessi tot malis, pacem in annos quinquaginta fecere, quam non nisi sex annis seruauerunt. Nam inducias, quas proprio nomine condixerant, ex sociorum persona rumpebant: quippe quasi minus periurii contraherent, si ferentes sociis auxilia, potius quam si aperto praelio dimicassent. Hinc bellum in Siciliam translatum: quod priusquam expono, de Siciliae situ pauca dicenda sunt.

LIBER IV.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Siciliae insulae situs, soli natura. Aetnae item montis ac Scyllae & Charybdis miraculum.*
2. *Nomina, incolae veteres, Tyranni Siciliae, cui Carthaginienses inhiant.*
3. *Rheginenses ab Himeranis oppressi. Athenienses imperium Siciliae ambiunt, & prospere agunt initio.*
4. *In incepto pergentes, Syracusani Lacedaemonios accersunt. Graecorum concur-*

cursus sit, & bellum in Siciliam transfertur.

5. *Athenienses a Gylippo Lacedaemoniorum Duce terra marique franguntur: Ducibus Demosthene & Nicia indecoro fato sublatis.*

CAP. I.

Siciliam ferunt angustis quondam faucibus Italiae adhaesisse; direptamque velut a corpore, maiore impetu superi maris, quod toto vndarum onere illuc vehitur. Est autem ipsa terra tenuis ac fragilis; & cauernis quibusdam fistulisque ita penetrabilis, vt ventorum tota ferme flatibus pateat; nec non & ignibus generandis nutriendisque soli ipsius naturalis materia quippe intrinsecus stratum sulphure & bitumine traditur: quae res facit, vt spiritu cum igne inter interiora luctante, frequenter & compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructet. Inde deniq; Aetnae montis per tot secula durat incendium. Et vbi acrior perspiramenta cauernarum ventus incubuit, arenarum moles egeruntur. Proximum Italiae promontorium Rhegium dicitur, ideo quia Graece abrupta hoc nomine pronuntiantur. Nec mirum si fabulosa est loci huius antiquitas, in quem res tot coiere mirae. Primum quod nusquam alias tam torrens fretum, nec solum citato impetu, verum etiam saeuo; neque experientibus modo terribile, ve-

rum etiam procul videntibus. Vndarum porro in se concurrentium tanta pugna est, vt alias veluti terga dantes in imum desidere, alias quasi victrices in sublime ferri videas: nunc hic fremitum feruentis aestus, nunc illic gemitum in voraginem desidentis exaudias. Accedunt vicini, & perpetui Aetnae montis ignes, & insularum Aeolidum, veluti ipsis vndis alatur incendium. Neque enim in tam angustis terminis aliter durare tot seculis tantus ignis potuisset, nisi humoris nutrimentis aleretur. Hinc igitur fabulae Scyllam & Charybdin peperere; hinc latratus auditus; hinc monstri credita simulacra, dum nauigantes magnis vorticibus pelagi desidentis exterriti, latrare putant vndas, quas sorbentis aestus vorago conlidit. Eadem causa etiam Aetnae montis perpetuos ignes facit. Nam aquarum ille concursus, raptum secum spiritum in imum fundum trahit, atque ibi suffocatum tamdiu tenet, donec per spiramenta (terrae diffusus, nutrimenta) ignis incendat. Iam ipsa Italiae Siciliaeque vicinitas, (iam) promontoriorum altitudo ipsa ita similis est, vt quantum nunc admirationis, tantum antiquis terroris dederit; credentibus coëuntibus in se promontoriis, ac rursum discedentibus, solida intercipi absumique nauigia. Neque hoc ab antiquis in dulcedinem fabulae compositum, sed metu & admiratione transeuntium. Ea est enim procul inspicientibus natura loci, vt sinum maris non transitum putes; quo cum accesseris, disce-

discedere ac seiungi promontoria, quae antea iuncta fuerant, arbitrere.

CAP. II. Siciliae primo Trinacriae nomen fuit; postea Sicania cognominata est. Haec a principio patria Cyclopum fuit: quibus exstinctis, Cocalus regnum insulae occupauit: post quem singulae ciuitates in tyrannorum imperium concesserunt, quorum nulla terra feracior fuit. Horum ex numero Anaxilaus iustitia cum caeterorum crudelitate certabat; cuius moderationis haud mediocrem fructum tulit: Quippe decedens eum filios paruulos reliquisset, tutelamque eorum Micalo, spectatae fidei seruo, commisisset: tantus amor memoriae eius apud omnes fuit, vt parere seruo, quam deserere regis filios mallent, principesque ciuitatis obliti dignitatis suae, regni maiestatem administrari per seruum paterentur. Imperium Siciliae etiam Carthaginienses tentauere, diuque varia victoria cum tyrannis dimicatum. Ad postremum, amisso Hamilcare imperatore cum exercitu, aliquantisper quieuere victi.

CAP. III. Medio tempore cum Rhegini discordia laborarent, ciuitasque per dissensionem diuisa in duas partes esset; veterani ex altera parte ab Himera in auxilium vocati, pulsis ciuitate, contra quos implorati fuerant, & mox caesis, quibus tulerant auxilium, vrbem cum coniugibus & liberis sociorum occupauere; ausi facinus nulli tyran-

no comparandum; quippe vt Rheginis melius fuerit vinci, quam vicisse. Nam siue victoribus captiuitatis iure seruissent, siue amissa patria exsulare necesse habuissent; non tamen, inter aras & patrios lares trucidati, crudelissimis tyrannis patriam cum coniugibus ac liberis praedam reliquissent. Catinienses quoque cum Syracusanos graves paterentur, diffisi viribus suis, auxilium ab Athenienſibus petiuere: qui, seu studio maioris imperii, quo Asiam Graeciamque penitus occuparent, seu metu factae pridem à Syracusanis classis, ne Lacedaemoniis illae vires accederent; Lamponium ducem cum classe in Siciliam misere, vt sub specie ferendi Catinienſibus auxilii, tentarent Siciliae imperium. Et quoniam prima initia, frequenter caesis hostibus, prospera fuerant: maiore denuo classe, & robustiore exercitu, Lachete & Cariade ducibus, Siciliam petiuere: sed Catinienses, siue metu Athenienſium, siue taedio belli, pacem cum Syracusanis, remissis Athenienſium auxiliis, fecerunt.

CAP. IV. Interiecto deinde tempore, cum fides pacis a Syracusanis non seruaretur, denuo legatos Athenas mittunt, qui sordida veste, capillo barbaque promissis, & omni squaloris habitu ad misericordiam commouendam acquisito, concionem deformes adeunt: adduntur precibus lacrymae: & ita misericordem populum supplices mouent, vt damnarentur duces, qui ab his auxilia deduxerant. Igitur classis ingens decernitur: creanon

antur duces Nicias, & Alcibiades, & Lamachus, tantisque viribus Sicilia repetitur, vt ipsis terrori essent, in quorum auxilia mittebantur. Breui post tempore, reuocato ad reatum Alcibiade, duo praelia pedestria secunda Nicias & Lamachus faciunt: munitionibus deinde circumdatis hostes etiam marinis commeatibus in vrbe clausos interoludunt. Quibus rebus fracti Syracusani, auxilium a Lacedaemoniis petiuerunt. Ab his mittitur Gylippus, solus, sed in quo instar omnium auxiliorum erat. Is audito *genere belli, iam inclinato statu, auxiliis partim in Graecia, partim in Sicilia contractis, opportuna bello loca occupat. Duobus deinde praeliis victus, congressus tertio, occiso Lamacho, & hostes in fugam compulit, & socios obsidione liberavit. Sed cum Athenienses a bello terrestri in naualе se transtulissent, Gylippus classem Lacedaemone cum auxiliis arcessit: quo cognito, & ipsi Athenienses in locum amissi ducis Demosthenem & Eurymedonta, cum supplemento copiarum mittunt: Peloponnesii quoque communi ciuitatum decreto, ingentia Syracusanis auxilia misere: & quasi Graeciae bellum in Siciliam translatum esset, ita ex vtraque parte summis viribus dimicabatur.

* alii: itinere.

CAP. V. Prima igitur congressione naualis certaminis, Athenienses vincuntur. Castra quoque cum omni publica ac priuata pecunia amittunt.

tunt. Super haec mala, cum etiam terrestri praelio victi essent, tunc Demosthenes censere cœpit, vt abirent Sicilia, dum res, quamuis afflictae, nondum tamen perditae forent: neque in bello male auspicato amplius perseuerandum, esse domi graviora, & forsitan infeliciora bella, in quae seruare hos vrbis apparatus oporteat. Nicias seu pudore male actae rei, seu metu destitutae spei ciuium, seu impellente fato, manere contendit. Reparatur igitur nauale bellum, & animi a prioris fortunae procella ad spem certaminis reuocantur: sed insciția ducum, qui inter angustias maris tuentes se Syracusanos aggressi fuerant, facile vincuntur. Eurymedon dux in prima acie fortissime dimicans, primus cadit: triginta naues, quibus praefuerat, incenduntur. Demosthenes & Nicias, & ipsi victi, exercitum in terram deponunt, tutiorem fugam rati itinere terrestri. Ab his relictas centum triginta naues Gylippus inuasit: ipsos deinde insequitur: fugientes partim capit, partim caedit. Demosthenes amisso exercitu, a captiuitate, gladio & voluntaria morte se vindicat: Nicias autem ne Demosthenis quidem exemplo, vt sibi consuleret, admonitus, cladem suorum auxit dedecore captiuitatis.

LIBER

LIBER V.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Alcibiades Siculi belli concitor in exsilium coniectus, Lacedaemonios ad bellum Atheniensibus inferendum impellit. Huic bello Darius Rex Persarum accedit socius Lacedaemoniis.*
2. *Alcibiadis res gestae in patriam. Lacedaemoniis suspectus, negotium illis facessit Tissafernis opera.*
3. *Alcibiades statum reip. mutat, deinde classe instructa in bellum pergit aduersus Lacedaemonios.*
4. *Naualis pugna & praeclara de Lacedaemoniis victis ab Alcibiade reportata victoria. Is desideratus ciuibus suis Athenas reuersus summa cum omnium laetitia excipitur.*
5. *Lacedaemonii Persarum freti auxilio exercitum Athenienſium in Asia sparsum opprimunt. Alcibiades ob rem male gestam veritus populi impetum denuo in voluntarium exsilium proficiscitur.*

6. Conon Alcibiadis successor inualidos & nouos milites nactus infeliciter rem gerit, & naualí praelio superatus concedit ad Euagoram.

7. Athenienſium tot cladibus fractorum puſillanimitas.

8. Lacedaemonii victores vrbe Athenarum deditione potiuntur. Lyſander ſtatum reip. mutat: inde XXX. tyranni, & caedes Alcibiadis.

9. Theramenes tyrannorum vnus vir moderatus, a collegis trucidatur. Thraſybulus remp. collapſam reſtituit, & praelio commiſſo XXX. tyrannorum ſaeuiſſimos Critiam & Hippolochum mactat.

10. Thraſybulus populares fugientes placide reuocat: ſuperſtites tyrannos vrbe pellit, qui dum bellum reparare ſtudent, comprehenſi trucidantur, ἀμνηστία, id eſt, diſcordiarum obliuione inter ciues ſancita.

11. Darii mors. Inter cuius filios Artaxerxem & Cyrum lis de regno. Qua prius in occultum, deinde vero in apertum bellum erumpente, Artaxerxes demum, fratre occiſo, & victoria & regno potitur.

CAP

CAP. I.

Dum Athenienſes in Sicilia bellum per biennium cupidius, quam felicius gerunt, interim concitor & dux eius Alcibiades abſens Athenis inſimulatur, myſteria Cereris Initiorum ſacra, nullo magis quam ſilentio ſolemnia, enunciauiſſe. Reuocatusque a bello ad iudicium, ſiue conſcientiam, ſiue indignitatem rei non ferens, tacitus in exſilium Elidem profectus eſt. Inde vbi non damnatum ſe tantum, verum etiam diris per omnium ſacerdotum religiones deuotum cognouit, Lacedaemona ſe contulit: ibique regem Lacedaemoniorum impellit, turbatis Athenienſibus aduerſo Siciliae praelio vltro bellum inferre. Quo facto, omnia Graeciae regna, velut ad exſtinguendum commune incendium, concurrunt. Tantum odium Athenienſes immoderati imperii crudelitate contraxerant. Darius quoque Rex Perſarum, memor paterni auitique in hanc vrbem odii, facta cum Lacedaemoniis per Tiſſaphernem praefectum Lydiae ſocietate, omnem ſumtum belli pollicetur. Et erat hic quidem titulus cum Graecis coëundi: re autem vera timebat, ne victis Athenienſibus ad ſe Lacedaemonii arma transferrent. Quis igitur miretur, tam florentes Athenienſium opes ruiſſe, cum ad opprimendam vnam vrbem totius Orientis vires concurrerent. Non tamen inerti, neque incruento cecidere bello: ſed praeliati ad vltimum, victores etiam interdum, conſumti magis fortunae varietate, quam victi ſunt.

Principio belli omnes ab his etiam socii desciuerant, vt fit: Quo se fortuna, eodem etiam fauor hominum inclinat.

CAP. II. Alcibiades quoque motum aduersus patriam bellum, non gregarii militis opera, sed imperatoriis virtutibus adiuuat. Quippe acceptis quinque nauibus in Asiam contendit, & tributarias Athenienſium ciuitates, auctoritate nominis sui, ad defectionem compellit. Sciebant enim domi clarum, nec exsilio videbant factum minorem; nec tam ablatum Athenienſibus ducem, quam Lacedaemoniis traditum; partaque cum amissis imperia pensabant. Sed apud Lacedaemonios virtus Alcibiadis plus inuidiae quam gratiae contraxit. Itaque cum principes velut aemulum gloriae suae interficiendum insidiis mandassent, cognita re Alcibiades per vxorem Agidis regis, quam adulterio cognouerat, ad Tissafernem praefectum Darii regis profugit; cui se celeriter officii comitate, & obsequendi gratia insinuauit. Erat enim & aetatis flore, & formae veneratione, nec minus eloquentia, etiam inter Athenienſes, insignis: sed in conciliandis amicitiarum studiis, quam in retinendis, vir melior: quia morum vitia sub vmbra eloquentiae primo latebant. Igitur persuadet Tissaferni, ne tanta stipendia classi Lacedaemoniorum praeberet. Vocandos enim in portionem muneris Ionios, quorum pro libertate, cum tributa Athenienſibus penderent, bellum susceptum sit. Sed nec auxiliis ni-

nimis enixe Lacedaemonios iuuandos; Quippe memorem esse debere, alienam se victoriam, non suam instruere: Et eatenus bellum sustinendum, ne inopia deseratur. Nam regem Persarum, dissentientibus Graecis, arbitrum pacis ac belli fore; & quos suis non possit, ipsorum armis victurum, perfecto autem bello, statim ei cum victoribus dimicandum. Domesticis itaque bellis Graeciam obterendam, ne externis vacet; exaequandasque vires partium, & inferiores auxilio leuandos. Non enim quieturos post hanc victoriam Spartanos, qui vindices se libertatis Graeciae professi sint. Grata oratio Tissaferni fuit. Itaque commeatus maligne praebere: classem regiam non totam mittere; ne aut victoriam totam daret, aut necessitatem deponendi belli imponeret.

CAP. III. Interea Alcibiades hanc operam civibus venditabat: ad quem cum legati Atheniensium venissent, pollicetur his amicitiam regis, si respubl. a populo translata ad senatum foret: sperans, vt aut concordante ciuitate, dux belli ab omnibus legeretur: aut discordia inter ordines facta, ab altera parte in auxilium vocaretur. Sed Athenienſibus imminente periculo belli, maior salutis quam dignitatis cura fuit. Itaque permittente populo imperium ad senatum transfertur. Qui cum insita genti superbia crudeliter in plebem consuleret, singulis tyrannidis sibi impotentiam vindicantibus, ab exercitu Alcibiades exsul reuocatur, dux-

duxque classi constituitur. Statim igitur Athenas mittit, ex continenti se cum exercitu venturum, recepturumque a quadringentis iura populi, ni ipsi redderent. Hac denunciatione optimates territi, primo vrbem prodere Lacedaemoniis tentauere: dein cum id nequissent, in exsilium profecti sunt. Igitur Alcibiades, intestino malo patria liberata, summa cura classem instruit; atque ita in bellum aduersus Lacedaemonios pergit.

CAP. IV. Iam Mindarus & Pharnabazus, Lacedaemoniorum duces, instructis nauibus exspectabant. Praelio commisso, victoria penes Atheniensis fuit. In eo bello maior pars exercitus, & omnes ferme hostium duces caesi: naues LXXX. captae. Interiectis quoque diebus, cum bellum Lacedaemonii a mari in terram transtulissent, iterato vincuntur. His malis fracti, pacem petiere: Quam ne acciperent, opera eorum effectum est, quibus ea res quaestum praestabat. Interea & Syracusanorum auxilia, ob illatum a Carthaginiensibus Siciliae bellum, domum reuocauit: quibus rebus destitutis Lacedaemoniis, Alcibiades cum classe victrici Asiam vastat: multis locis praelia facit: vbique victor recipit ciuitates, quae defecerant: nonnullas capit, & imperio Athienssium adiicit: atque ita prisca nauali gloria vindicata, adiecta etiam laude terrestris belli, desideratus ciuibus suis Athenas reuertitur. His omnibus praeliis ducentae naues hostium, & praeda ingens capta. Ad

hunc

hunc redeuntis exercitus triumphum, effusa omnis multitudo obuiam procedit; & vniuersos quidem milites, praecipue tamen Alcibiadem mirantur: in hunc oculos ciuitas vniuersa, in hunc suspensa ora conuertit: hunc quasi de caelo missum, & vt ipsam victoriam contuentur: laudant, quae pro patria, nec minus admirantur quae exsul contra gesserit, excusantes ipsi, iratum prouocatumque fecisse. Enimuero tantum in vno viro fuisse momenti, vt maximi imperii subuersi, & rursum recepti auctor esset; & vnde stetisset, eo se victoria transferret: fieretque cum eo mira quaedam fortunae inclinatio. Igitur omnibus non humanis tantum, verum & diuinis eum honoribus onerant: certant secum ipsi, vtrum contumeliosius eum expulerint, an reuocaverint honoratius. Ipsos illi deos gratulantes tulere obuiam, quorum exsecrationibus erat deuotus. Et cui paulo ante omnem humanam opem interdixerant, eum, si queant, in caelo posuisse cupiunt. Explent contumelias honoribus, detrimenta muneribus, exsecrationes precibus. Non Siciliae illis aduersa pugna in ore est, sed Graeciae victoria: non classes per illum amissae, sed acquisitae: nec Syracusarum, sed Ioniae, Hellespontique meminerunt. Sic Alcibiades nunquam mediocribus, nec in offensa, nec in fauore, studiis suorum exceptus est.

CAP. V. Dum haec aguntur à Lacedaemoniis, Lysander classi belloque praeficitur, & in locum

cum Tissafernis, Darius Rex Persarum filium suum Cyrum Ioniae Lydiaeque praeposuit: qui Lacedaemonios auxiliis opibusque ad spem fortunae prioris erexit. Auctis igitur viribus, Alcibiadem cum centum nauibus in Asiam profectum, dum agros longa pace diuites, securius populatur, & praedae dulcedine sine insidiarum metu sparsos milites habet, repentino aduentu oppressere: tantaque caedes palantium fuit, vt plus vulneris eo praelio Athenienses acciperent, quam superioribus dederant: & tanta desperatio apud Athenienses erat, vt ex continenti Alcibiadem ducem Conone mutarent; arbitrantes victos se non fortuna belli, sed fraude imperatoris: apud quem plus prior offensa valuisset, quam recentia beneficia. Vicisse autem eum priore bello ideo tantum, vt ostenderet hostibus, quem ducem spreuissent, & vt carius eis ipsam victoriam venderet. Omnia enim credibilia in Alcibiade, vigor ingenii, & morum luxuria faciebat. Veritus itaque multitudinis impetum, denuo in voluntarium exsilium proficiscitur.

CAP. VI. Itaque Conon Alcibiadi suffectus, habens ante oculos cui duci successisset, classem maxima industria exornat: sed nauibus exercitus deerat, fortissimis quibusque in Asiae populatione amissis. Armantur tamen senes, aut impuberes pueri, & numerus militum sine exercitus robore expletur. Sed non magnam bello moram aetas fecit imbellis; caeduntur passim, aut fugientes capiun-

vntur: tantaque strages, aut occisorum, aut captivorum fuit, vt Athenienſium deletum non imperium tantum, verum etiam nomen videretur. Quo praelio perditis & deſperatis rebus, ad tantam inopiam rediguntur, vt conſumta militari aetate, peregrinis ciuitatem, ſeruis libertatem, damnatis impunitatem darent. Ex qua colluuione hominum conſcripto exercitu, domini antea Graeciae, vix libertatem tuebantur. Iterum tamen fortunam mari experiendam decernunt. Tanta virtus animorum erat, vt cum paulo ante ſalutem deſperauerint, nunc non deſperent victoriam. Sed neque is miles erat, qui nomen Athenienſium tueretur; neque eae vires, quibus vincere conſuerant; neque ea ſcientia militaris in his, quos vincula, non caſtra continuerant. Itaque omnes aut capti, aut occiſi. Cum dux Conon eo praelio ſuperfuiſſet ſolus, crudelitatem ciuium metuens, cum octo nauibus ad regem Cyprium concedit Euagoram.

CAP. VII. At dux Lacedaemoniorum rebus feliciter geſtis, fortunae hoſtium inſultat; captiuas naues cum praeda bellica, in triumphi modum ornatas, mittit Lacedaemona: ac tributarias Athenienſium ciuitates, quas metus dubiae belli fortunae in fide tenuerat, voluntarias recepit; nec aliud ditionis Athenienſium praeter vrbem ipſam reliquit. Quae cuncta cum Athenis nunciata eſſent, omnes relictis domibus, per vrbem diſcurrere pauidi: alius alium ſciſcitari; auctorem nuntii requirere: non

non pueros imprudentia; non senes debilitas; non mulieres sexus imbecillitas domi tenet: adeo ad omnem aetatem tanti mali sensus penetrauerat. In foro deinde coëunt, atque ibi perpeti nocte fortunam publicam quaestibus iterant. Alii fratres, aut filios, aut parentes deflent, cognatos alii, alii amicos cognatis cariores, & cum priuatis casibus querelam publicam miscent; iam se ipsos, iam ipsam patriam perituram, miserioremque incolumium, quam amissorum fortunam iudicantes: sibi quisque ante oculos obsidionem, famem, & superbum victoremque hostem proponentes: iam ruinam vrbis & incendia, iam omnium captiuitatem & miserrimam seruitutem recordantes: feliciores prorsus priores vrbis ruinas ducentes, quae incolumibus filiis parentibusque, tectorum tantum ruina taxatae sint. Nunc autem non classem, in quam, sicuti pridem, confugiant, superesse; non exercitum, cuius virtute seruati pulchriora possent moenia exstruere.

CAP. IIX. Sic defletae ac prope perditae vrbi hostes superueniunt, & * obsidione circumdata obsessos fame vrgent. Sciebant enim, neque exadvectis copiis multum superesse, & ne nouae aduehi possent, prouiderant: quibus malis Athenienses fracti, post longam famem, & assidua suorum funera, pacem petiuere: quae an dari deberet, diu inter Spartanos, sociosque deliberatum. Cum multi delendum Athenienſium nomen vrbemque incendio con-

* alii obsidione circumdatos fame vrgent.

consumendam censerent; negarunt se Spartani ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos: pacem polliciti, si demissa Pyraeum versus muri brachia deiicerent, nauesque, quae reliquae forent, traderent; resque publica ex semet ipsis XXX. rectores acciperet. In has leges traditam sibi vrbem, Lacedaemonii formandam Lysandro tradiderunt. Insignis hic annus & expugnatione Athenarum, & morte Darii regis Persarum, & exsilio Dionysii Siciliae tyranni fuit. Mutato statu Athenarum, etiam ciuium conditio mutatur. Triginta rectores reipublicae constituuntur, qui fiunt tyranni: quippe a principio tria millia sibi satellitum statuunt, quantum ex tot cladibus prope nec ciuium superfuerat: & quasi paruus hic ad continendam ciuitatem exercitus esset, septingentos milites a victoribus accipiunt. Caedes deinde ciuium ab Alcibiade auspicantur, ne iterum rempublicam sub obtentu liberationis inuaderet. Quem cum profectum ad Artaxerxem Persarum regem comperissent, citato itinere miserunt, qui eum interciperent: a quibus occupatus, cum occidi aperte non posset, viuus in cubiculo, in quo dormiebat, crematus est.

CAP. IX. Liberati hoc vltoris metu tyranni, miseras vrbis reliquias caedibus & rapinis exhauriunt. Quod cum displicere vni ex numero suo Therameni didicissent, ipsum quoque ad terrorem omnium interficiunt. Fit igitur ex vrbe passim

omnium

omnium fuga; repleturque Graecia Athenienſium exſulibus: quod etiam ipſum auxilium cum miſeris eriperetur, (nam Lacedaemoniorum edicto ciuitates, exſules recipere prohibebantur) omnes ſe Argos & Thebas contulere: ibi non ſolum tutum exſilium egerunt, verum etiam ſpem recuperandae patriae receperunt. Erat inter exſules Thraſybulus, vir ſtrenuus, & domi nobilis, qui audendum aliquid pro patria & pro ſalute communi, etiam cum periculo ratus, adunatis exſulibus, caſtellum Phylen Atticorum finium occupat: nec deerat quarundam ciuitatium, tam crudeles caſus miſerantium, fauor. Itaque Iſmenias Thebanorum princeps, etſi publicis non poterat, priuatis tamen viribus adiuuabat: & Lyſias Syracuſanus orator, exſul tunc, quingentos milites ſtipendio ſuo inſtructos, in auxilium patriae communis eloquentiae miſit. Fit itaque aſperum praelium: ſed cum hinc pro patria ſummis viribus, inde pro aliena dominatione ſecurius pugnaretur, tyranni vincuntur: victi in vrbem *refugerunt, quam exhauſtam caedibus ſuis, etiam armis ſpoliant. Deinde cum omnes Athenienſes proditionis ſuſpectos haberent, demigrare eos ex vrbe iubent, & in brachiis muri, quae diruta fuerant, habitare, extraneis militibus imperium tuentes. Poſt haec Thraſybulum corrumpere, imperii ſocietatem pollicentes, conantur: quod cum non contigiſſet, auxilia a Lacedaemoniis petiuere: quibus accitis, iterato praeliantur. In eo bello Cri-

* refugiunt alii.

Critias & Hippolochus, omnium tyrannorum saevissimi, cadunt.

CAP. X. Caeteris victis, cum exercitus eorum, ex quibus maior pars Athenienſium erat, fugeret, magna voce Thraſybulus exclamat: Cur ſe victorem fugiant, potius, quam vt vindicem communis libertatis adiuuent? Ciuium illam meminerint aciem, non hoſtium eſſe; nec ſe ideo arma cepiſſe, vt aliqua victis adimat, ſed vt ademta reſtituat: XXX ſe dominis, non ciuitati bellum inferre. Admonet deinde cognationis, legum, ſacrorum communium; tum vetuſti per tot bella commilitii: orat miſereantur exſulum ciuium, ſi tam patienter ipſi ſeruiant: reddant ſibi patriam, accipiant libertatem. His vocibus tantum promotum eſt, vt reuerſus in vrbem exercitus, XXX tyrannos emigrare Eleuſina iuberet, ſubſtitutis decem, qui rempubl. regerent: qui, nihil exemplo prioris dominationis territi, eandem viam crudelitatis aggreſſi ſunt. Dum haec aguntur, nuntiatur Lacedaemone, in bellum Athenienſes exarſiſſe: ad quod comprimendum Pauſanias rex mittitur: qui miſericordia exſulis populi permotus, patriam miſeris ciuibus reſtituit, & decem tyrannos ex vrbe Eleuſina migrare ad caeteros iubet. Quibus rebus cum pax ſtatuta eſſet, interiectis diebus, repente tyranni non minus reſtitutos exſules, quam ſe in exſilium actos indignantes, quaſi vero aliorum libertas, ſua

sua seruitus esset; bellum Athenienſibus inferunt: sed ad colloquium, veluti dominationem recepturi, progressi, per insidias comprehensi, vt pacis victimae trucidantur: populus, quem emigrare iusserant, in vrbem reuocatur. Atque ita per multa membra ciuitas dissipata, in vnum *tantum corpus redigitur; & ne qua dissensio ex ante actis nasceretur, omnes iureiurando obstringuntur, discordiarum oblivionem fore. Interea Thebani Corinthiique legatos ad Lacedaemonios mittunt; qui ex manubiis portionem praedae communis belli periculique peterent, quibus negatis, non quidem aperte bellum adversus Lacedaemonios decernunt: sed tacitis animis tantam iram concipiunt, vt subesse bellum intelligi posset. * alii: tandem.

CAP. XI. Eodem fere tempore Darius Rex Persarum moritur, Artaxerxe & Cyro filiis relictis. Regnum Artaxerxi, Cyro ciuitates, quarum praefectus erat, testamento legauit. Sed Cyro iudicium patris iniuria videbatur. Itaque occulte aduersus fratrem bellum parabat, quod cum nuntiatum Artaxerxi esset, accersitum ad se fratrem, & innocentiam dissimulatione belli simulantem, compedibus aureis vinxit; interfeciſſetque, ni mater prohibuisset. Dimissus igitur Cyrus, iam non occulte bellum, sed palam; nec per dissimulationem, sed aperta professione parare coepit: auxilia vndique contrahit. Lacedaemonii memores, Athenienſi bello enixe se eius opera adiutos, velut ignoran-

rantes contra quem bellum pararetur, decernunt auxilia Cyro mittenda, vbi res eius exegisset: quaerentes apud Cyrum gratiam, & apud Artaxerxem, si vicisset, veniae patrocinia, cum nihil aduersus eum aperte decreuissent. Sed cum in bello fors praelii vtrumque fratrem pugnae obtulisset, prior Artaxerxes à fratre vulneratur; quem cum equi fuga periculo subtraxisset, Cyrus à cohorte regia oppressus, interficitur. Sic victor Artaxerxes, & praeda fraterni belli, & exercitu potitur. In eo praelio decem millia Graecorum in auxilio Cyri fuere, quae & in cornu, in quo steterant, vicerunt; & post mortem Cyri, neque armis a tanto exercitu vinci, neque dolo capi potuerunt; reuertentesque inter tot indomitas nationes, & barbaras gentes, per tanta itineris spatia virtute se vsque terminos patriae defenderunt.

LIBER VI.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Lacedaemonii Asiae imperium affectantes bellum mouent. Rex Persarum Athenientibus per Cononem auxilium concedit.*
2. *Lacedaemonii Ducem exercitus Agesilaum praeficiunt. Cononis prudenter & fortiter gesta.*

3. *Pisandri & Cononis pugna, in qua Lacedaemonii victi.*
4. *Inclinatio fortunae Lacedaemoniorum, quam Agesilai fortitudo sustentat.*
5. *Athenienses Iphicratem & Cononem Lacedaemoniis oppponunt. Athenae ex Lacedaemoniorum spoliis instaurantur.*
6. *Graeciae pax a Rege Persarum indicta, quam Lacedaemonii magno suo malo turbant.*
7. *Thebani Lacedaemonios lacessunt, vnde dubia Martis alea, & pugna ad Mantineam.*
8. *Epaminondae fortissimi Thebanorum Ducis interitus, & elogium.*
9. *Totius Graeciae labes post Epaminondae excessum.*

CAP. I.

Lacedaemonii more ingenii humani, quo plura habent, eo ampliora cupientes, non contenti accessione Athenienſium opum vires ſibi duplicatas, totius Aſiae imperium affectare coeperunt; ſed maior pars ſub regno Perſarum erat. Itaque Hercyllides dux in hanc militiam electus, cum videret ſibi aduerſus duos praefectos Artaxerxis regis, Pharnabazum & Tiſſaſernem, maximarum gentium viribus ſuccinctos, dimicandum, pacificari cum altero ſtatuit. Aptior viſus Tiſſaſernes, vir & induſtria potior, & militibus Cyri quondam re-

regis instructior, in colloquium vocatur, & statutis conditionibus, ab armis dimittitur. Hanc rem Pharnabazus apud communem regem criminatur, vt Lacedaemonios Asiam ingressos non repulerit armis, sed impensis regiis aluerit; merceturque ab his, vt differant bella, quam gerant, tanquam non ad vnius summam imperii detrimentum omne perveniat. Indignum, ait, bella non perfici, sed redimi; hostem pretio, non armis summoueri. Hic vocibus regem Tissaferni alienatum hortatur, vt in locum eius, naualis belli ducem eligat Conona Athenienſem, qui amissa bello patria Cypri exsulabat: quippe Athenienſibus, etsi fractae sint opes, manere tamen naualem vsum, nec si eligendus sit ex vniuersis, meliorem alium esse. Acceptis igitur quingentis talentis, iussus est Conona classi praeficere.

CAP. II. His cognitis, Lacedaemonii & ipsi a rege Aegypti Hercynione auxilia naualis belli per legatos petunt, a quo centum triremes, & sexcenta millia modiorum frumenti missa: a ceteris quoque sociis ingentia auxilia contracta sunt. Sed tanto exercitui, & contra tantum ducem, deerat dignus imperator. Itaque postulantibus sociis Agesilaum ducem, regem tunc Lacedaemoniorum: propter responsum oraculi Delphici, diu Lacedaemonii, an eum summae rei praeponerent, deliberauerunt: quibus futurus imperii finis denunciabatur, cum regium claudicasset imperium: erat enim

pede claudus. Ad postremum statuerunt, melius esse incessu regem, quam imperio regnum claudicare. Posteaquam Agesilaum cum ingentibus copiis in Asiam misere: non facile dixerim, quod aliud par ducum tam bene comparatum fuerit: quippe aetas, virtus, consilium, sapientia vtrique prope vna: gloria quoque rerum gestarum eadem: quibus cum paria omnia fortuna dederit, inuictum tamen ab altero vtrumque seruauit. Magnus igitur amborum apparatus belli, magnae res gestae fuerunt. Sed Cononem seditio militum inuadit, quos praefecti regis fraudare stipendio soliti erant, eo instantius debita poscentibus, quo grauiorem sub magno duce militiam praesumebant. Itaque Conon diu rege per epistolas frustra fatigato, ad postremum ipse ad eum pergit, a cuius aspectu & colloquio prohibitus est, quod eum more Persarum adorare nollet: agit tamen cum eo per internuntios, & queritur, opulentissimi regis bella inopia dilabi, & qui exercitum parem hostibus habeat, pecunia vinci, qua praestet; inferioremque eum ea parte virium inueniri, qua longe superior sit. Postulat dari sibi ministrum impensae, quia pluribus id mandare pernicioſum sit. Dato stipendio, ad classem remittitur: nec moram agendis rebus facit: multa fortiter, multa feliciter agit: agros hostiles vastat: vrbes expugnat, & quasi tempestas quaedam cuncta prosternit. Quibus rebus territi Lacedaemonii, ad patriae subsidium, reuocandum ab Asia Agesilaum decernunt.

CAP.

CAP. III. Interim Pisandrus ab Agesilao proficiscente dux patriae relictus, ingentem classem summis viribus instruit, fortunam belli tentaturus. Nec non & Conon tunc primum cum hostium exercitu concursurus, magna cura ordinat suos. Summa igitur non tam ducum in eo praelio, quam militum aemulatio fuit. Nam & ipse dux Conon non tam Persis, quam patriae studebat: & sicut afflictis Athenienſium rebus, auctor amissae dominationis fuerat; sic volebat idem haberi redditae, patriamque vincendo recipere, quam victus amiserat: eo speciosius, quod ne ipsorum quidem Athenienſium, sed alieni imperii viribus dimicet, pugnaturus periculo regis, victurus praemio patriae: gloriamque diuersis artibus, quam priores ciuitatis suae duces consecuturus: quippe illos vincendo Persas, patriam defendisse: se Persas victores faciendo, restituturum patriam esse. Porro Pisandrus pro coniunctione Agesilai, etiam virtutum aemulator erat; contendebatque ne a rebus gestis eius, & gloriae splendore decederet; neue tot bellis ac seculis quaesitum imperium, breuis momenti culpa subuerteret. Eadem militum & omnium regum cura erat, quos maior sollicitudo cruciabat, non tam ne ipsi quaesitas opes amitterent, quam ne pristinas Athenienses reciperent. Sed quanto maius praelium fuit, tanto & clarior victoria Cononis. Victi Lacedaemonii fugam capessunt, praesidia hostium Athenis deducuntur: populo re-

flituta dignitate conditio seruilis eripitur : multae quoque ciuitates recipiuntur.

CAP. IV. Hoc initium Athenienſibus reſumendae potentiae, & Lacedaemoniis habendae finis fuit. Namque velut cum imperio etiam virtutem perdidiſſent, contemni a finitimis coepere. Primi igitur Thebani auxiliantibus Athenienſibus, bellum his intulere: quae ciuitas ex infimis incrementis, virtute Epaminondae ducis, ad ſpem imperii Graeciae erecta eſt. Fit itaque terreſtre praelium, eadem Lacedaemoniorum fortuna, qua pugnatum aduerſus Conona nauali praelio fuerat. In eo bello Lyſander, quo duce Athenienſes victi a Lacedaemoniis fuerant, interficitur. Pauſanias quoque alter dux Lacedaemoniorum proditionis accuſatus, in exſilium abiit. Igitur Thebani potiti victoriam, vniuerſum exercitum ad vrbem Lacedaemoniorum ducunt, facilem expugnationem rati, quoniam deſerti a ſociis omnibus erant: quod metuentes Lacedaemonii, regem ſuum Ageſilaum ex Aſia, qui ibi magnas res gerebat, ad defenſionem patriae arceſſunt. Occiſo enim Lyſandro nullius alterius fiduciam ducis habebant. Cuius quoniam ſerus aduentus erat, conſcripto exercitu, obuiam hoſti procedunt. Sed victis, aduerſus paulo ante victores, nec animùs, neque vires pares fuere. Prima igitur congreſſione funduntur. Deletis iam ſuorum copiis ſuperuenit rex Argeſilaus, qui reſtitutò praelio, non difficulter, recenti & mul-

multis expeditionibus indurato milite, hostibus victoriam eripuit; ipse tamen grauiter sauciatur.

CAP. V. Quibus rebus cognitis, Athenienses verentes, ne iterum Lacedaemoniis victoribus, in pristinam sortem seruitutis redigerentur, exercitum contrahunt, eumque in auxilium Bœotiorum per Iphicratem, viginti quidem annos natum, sed magnae indolis iuuenem, duci iubent. Huius adolescentis supra aetatem virtus admirabilis fuit; nec vnquam ante eum Athenienses, inter tot tantosque duces, aut spei maioris, aut indolis maturioris imperatorem habuerunt; in quo non imperatoriae tantum, verum & oratoriae artes fuere. Conon quoque, audito reditu Agesilai, & ipse ex Asia ad deprædandos Lacedaemoniorum agros reuertitur; atque ita, vndique belli formidine circumstrepente, clausi Spartani ad summam desperationem rediguntur. Sed Conon vastatis hostium terris, Athenas pergit: vbi magno ciuium gaudio exceptus, plus tamen tristitiae ipse ex incensa & diruta a Lacedaemoniis patria, quam laetitiae ex recuperata post tantum temporis, cepit. Itaque quae incensa fuerant, praedarum sumtu & exercitu Persarum restituit: quae diruta, reficit. Fatum illud Athenarum fuit, vt ante a Persis crematae, manibus eorum: & nunc a Lacedaemoniis dirutae, ex spoliis Lacedaemoniorum restituerentur: versa quoque vice, nunc haberent socios, quos tunc hostes habuerant; & hostes nunc paterentur,

cum quibus iuncti tunc arctissimis societatis vinculis fuerant.

CAP. VI. Dum haec geruntur, Artaxerxes rex Persarum, legatos in Graeciam mittit, per quos iubet omnes ab armis discedere; qui aliter fecisset, cum se pro hoste habiturum: ciuitatibus libertatem suaque omnia restituit: quod non Graeciae laboribus, assiduisque bellorum internecinis odiis consulens fecit, sed ne occupato sibi Aegyptio bello, quod propter auxilia, aduersus praefectos suos Lacedaemoniis missa, susceperat, exercitus sui in Graecia detinerentur. Fessi igitur tot bellis Graeci, cupide paruere. Hic annus, non eo tantum insignis fuit, quod repente pax tota Graecia facta est: sed etiam eo, quo [illegible] Romana a Gallis capta est. Sed Lacedaemonii securis insidiantes, absentiam Arcadum speculati, castellum eorum expugnant, occupatoque praesidium imponunt. Itaque armato instructoque exercitu Arcades adhibitis in auxilium Thebanis, amissa bello repetunt. In eo praelio Archidamus dux Lacedaemoniorum vulneratur: qui cum caedi suos iam vt victos videret, per praeconem corpora interfectorum ad sepulturam poscit. Hoc est enim signum apud Graecos victoriae traditae. Qua confessione contenti Thebani, signum parcendi dedere.

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0086
DFG

CAP. VII. Paucis deinde post diebus, neutris quicquam hostile facientibus, cum quasi tacito consensu induciae essent, Lacedaemoniis alia bella aduersus finitimos gerentibus, Thebani Epaminonda duce, occupandae vrbis eorum spem ceperunt. Igitur principio noctis taciti Lacedaemona proficiscuntur: Non tamen aggredi incautos potuerunt. Quippe senes, & cetera imbellis aetas, cum aduentum hostium praesensissent in ipsis portarum angustiis armati occurrunt; & aduersus quindecim millia militum, non amplius centum iam effoetae aetatis viri, pugnae se offerunt. Tantum animorum viriumque, patriae & penatium conspectus subministrat; tantoque praesentia, quam recordatione sui, maiores spiritus largiuntur, Nam vt videre, inter quae, & pro quibus starent, aut vincendum sibi, aut moriendum censuerunt. Pauci igitur sustinuere senes aciem, cui par ante diem vniuersa iuuentus esse non potuit. In eo praelio duo duces hostium cecidere. Cum interim, Agesilai aduentu nunciato, Thebani recessere: nec bellum diu dilatum: siquidem Spartanorum iuuentus, senum virtute & gloria incensa, teneri non potuit, quin ex continenti, acie decerneret. Cum victoria Thebanorum esset, Epaminondas, dum non ducis tantum, verum etiam fortissimi militis officio fungitur, grauiter vulneratur. Quo audito, his ex dolore metus, & illis ex gaudio stupor iniicitur; atque ita veluti ex placito consensu a praelio discedit.

CAP. IIX. Post paucos deinde dies Epaminondas decedit, cum quo vires quoque reipubl. ceciderunt. Nam sicuti telo si primam aciem praefregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris: sic illo velut mucrone teli ablato duce Thebanorum, rei quoque publicae vires hebetatae sunt: vt non tam illum amisisse, quam cum illo interiisse omnes viderentur. Nam neque hunc ante ducem vllum memorabile bellum gessere; nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere: vt manifestum sit, patriæ gloriam & natam, & exstinctam cum eo fuisse. Fuit autem incertum, vir melior, an dux esset. Nam & imperium non sibi semper, sed patriae quaesiuit: & pecuniae adeo parcus fuit, vt sumtus funeri defuerit. Gloriae quoque non cupidior quam pecuniae: quippe recusanti omnia imperia ingesta sunt: honoresque ita gessit, vt ornamentum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur. Iam litterarum studium, iam philosophiae doctrina tanta, vt mirabile videretur, vnde tam insignis militiæ scientia homini inter litteras nato. Neque ab hoc vitae proposito mortis ratio dissensit. Nam vt relatus in castra semianimis, vocem spiritumque collegit, id vnum a circumstantibus requisiuit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis. Quod vt seruatum audiuit, allatumque, velut laborum gloriaeque socium osculatus est. Iterum quaesiuit; vtri vicissent. Vt audiuit Thebanos, bene habere se rem, dixit: atque ita velut gratulabundus patriae, exspirauit.

CAP.

CAP. IX. Huius morte etiam Athenienſium virtus intercidit. Siquidem amiſſo, cui aemulari conſueuerant, in ſegnitiam torporemque reſoluti, non vt olim in claſſem exercitusque, ſed in dies feſtos apparatusque ludorum, reditus publicos effundunt; & cum actoribus nobiliſſimis poëtisque theatra celebrant, frequentius ſcenam quam caſtra viſentes; verſificatoresque meliores, quam duces laudantes. Tunc vectigal publicum, quo antea milites & remiges alebantur, cum vrbano populo diuidi coeptum eſt. Quibus rebus effectum eſt, vt inter otia Graecorum ſordidum & obſcurum antea, Macedonum nomen emergeret: & Philippus obſes triennio Thebis habitus, Epaminondae & Pelopidae virtutibus eruditus regnum Macedoniae, Graeciae & Aſiae ceruicibus, velut iugum ſeruitutis imponeret.

LIBER VII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Macedoniae vetus nomen, populus, primi Reges.*
2. *Perdiccae Regis familia illuſtris, & infantis Europi nobile fatum.*
3. *Legati Perſarum ad Amyntam petulantiae ſuae dant poenas.*

4. *Pax Macedoniae Bubaris Reguli Persae opera conciliatur. Tragoediae in familia Amyntae, Alexandri Macedonis avi.*
5. *Philippi Macedonis varii casus, fratribus dolo materno vitae sublatis à populo compulsus regnum suscipit.*
6. *Initia regni Philippici laude & observatione dignissima, bella, coniugium, vitia & virtutes eiusdem.*

CAP. I.

Macedonia ante a nomine Emathionis regis, cuius prima virtutis experimenta in illis locis exstant, Emathia cognominata est. Huius sicuti incrementa modica, ita termini perangusti fuere. Populus Pelasgi, regio * Boeotia dicebatur. Sed postea virtute regum, & gentis industria, subactis primo finitimis, mox populis nationibusque, imperium vsque extremos Orientis terminos prolatum. In regione Paeonia, quae nunc portio est Macedoniae, regnasse fertur Pelegon pater Asteropaei, cuius Troiano bello, inter clarissimos vindices vrbis, nomen accepimus. Ex alio latere in Europa regnum Europus nomine tenuit. Sed & Caranus cum magna multitudine Graecorum, sedes in Macedonia responso oraculi iussus quaerere, cum in Emathiam venisset, vrbem Aedessam, non sentientibus oppidanis, propter imbrium & nebulae magnitudinem, gregem caprarum, imbrem fugientium, secutus, occupauit; reuocatusque in

* alii & quidem rectius Paeonia.

me-

memoriam oraculi, quo iussus erat, ducibus capris imperium quaerere, regni sedem statuit; religioseque postea obseruauit, quocunque agmen moueret, ante signa easdem capras habere, coeptorum duces habiturus, quas regni habuerat auctores. Vrbem Aedessam ob memoriam muneris Aegeas, populum Aegeatas, vocauit. Pulso deinde Mida (nam is quoque portionem Macedoniae tenuit) aliisque regibus pulsis, in locum omnium solus successit: primusque adunatis gentibus variorum populorum, veluti vnum corpus Macedoniae fecit; crescentique regno, valida incrementorum fundamenta constituit.

CAP. II. Post hunc Perdicca regnauit, cuius & vita illustris, & mortis postrema, veluti ex oraculo praecepta, memorabilia fuere: siquidem senex moriens, Argaeo filio monstrauit locum, quo condi vellet; ibique non sua tantum, sed & succedentium sibi regum ossa poni jussit; praefatus, quoad ibi conditae posterorum reliquiae forent, regnum in familia mansurum: creduntque hac superstitione exstinctam in Alexandro stirpem, quia locum sepulturae mutauerit. Argaeus moderate, & cum amore popularium administrato regno, successorem filium Philippum reliquit: qui immatura morte raptus, Europum paruulum admodum instituit heredem. Sed Macedonibus assidua certamina cum Thracibus & Illyriis fuere: quorum armis veluti quotidiano exercitio indurati, gloria bellicae

laudis finitimos terrebant. Igitur Illyrii infantiam regis pupilli contemnentes, bello Macedonas aggrediuntur: qui praelio pulsi, rege suo in cunis prolato, & pone aciem posito, acrius certamen repetiuere: tanquam ideo victi fuissent antea, quod bellantibus sibi regis sui auspicia defuissent; futuri vel propterea victores, quod ex superstitione animum vincendi ceperant: simul & miseratio eos infantis tenebat, quem, si victi forent, captiuum de rege facturi videbantur. Conserto itaque praelio, magna caede Illyrios fudere, ostenderuntque hostibus suis, priore bello regem Macedonibus, non virtutem defuisse. Huic Amyntas succedit, & propria virtute, & Alexandri filii egregia indole insigniter clarus: cui Alexandro tanta omnium virtutum natura ornamenta exstitere, vt etiam Olympio certamine, vario ludicrorum gènere contenderit.

CAP. III. Cum interim Darius Rex Persarum, turpi ab Scythia fuga summotus, ne ibique deformis militiae damnis haberetur, mittit cum parte copiarum Megabazum ad subigendam Thraciam, ceteraque eius tractus regna: quibus pro ignobili momento erat accessura Macedonia. Qui breui tempore exsecuto regis imperio, legatis ad Amyntam regem Macedoniae missis, obsides in pignus futurae pacis dari sibi postulabat. Sed legati benigne excepti inter epulas ebrietate crescente, rogant Amyntam, vt apparatui epularum adiiciat

ciat ius familiaritatis, adhibitis in conuiuium suis ac filii vxoribus: id apud Persas haberi pignus ac foedus hospitii. Quae vt venerunt, petulantius Persis eas contrectantibus, filius Amyntae Alexander rogat patrem, respectu aetatis ac grauitatis suae abiret conuiuio, pollicitus se hospitum temperaturum iocos. Quo digresso, mulieres quoque paululum e conuiuio euocat, cultius exornaturus, gratioresque reducturus. In quarum locum matronali habitu exornatos iuuenes supponit; eosque petulantiam legatorum, ferro, quod sub veste gerebant, compescere iubet. Atque ita interfectis omnibus, ignarus rei Megabazus, cum legati non redirent, mittit eo cum exercitus parte Bubarem, vt in bellum facile & mediocre: dedignatus ipse ire, ne dehonestaretur praelio tam foedae gentis. Sed Bubares ante bellum, amore filiae Amyntae captus, omisso bello nuptias facit, depositisque hostilibus animis, in affinitatis iura succedit.

CAP. IV. Post discessum a Macedonia Bubaris, Amyntas Rex decedit, cuius filio & successori Alexandro, cognatio Bubaris non Darii tantum temporibus pacem praestitit: verum etiam Xerxem adeo conciliauit, vt cum Graeciam veluti tempestas quaedam occupasset inter Olympum Haemumque montes totius regionis eum imperio donauerit. Sed nec virtute minus, quam Persarum liberalitate regnum ampliauit. Per ordinem deinde successionis, regnum Macedoniae ad Amyntam fra-

fratris eius Menelai filium peruenit. Hic quoque insignis industria; & omnibus imperatoriis virtutibus instructus fuit: qui ex Eurydice tres filios sustulit, Alexandrum, Perdiccam, & Philippum Alexandri Magni Macedonis patrem, & filiam Euryonem: Ex Cygnaea autem Archelaum, Archideum, Menelaum. Cum Illyriis deinde, & cum Olynthiis grauia bella gessit. Insidiis autem Eurydices vxoris, quae nuptias generi pacta, occidendum virum, regnumque adultero tradendum susceperat, occupatus fuisset, ni filia pellicatum matris, & sceleris consilia prodidisset. Functus itaque tot periculis, senex decessit, regno, maximo ex filiis Alexandro, tradito.

CAP. V. Igitur Alexander inter prima initia regni, bellum ab Illyriis pacta mercede, & Philippo fratre dato obside, redemit. Interiecto quoque tempore per eundem obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat: quae res Philippo maxima incrementa egregiae indolis dedit. Siquidem Thebis triennio obses habitus prima pueritiae rudimenta, in vrbe seueritatis antiquae, & in domo Epaminondae, summi & philolophi & imperatoris, deposuit. Nec multo post Alexander insidiis Eurydices matris appetitus occumbit: cui Amyntas in scelere deprehensae propter communes liberos, ignarus eisdem quandoque exitiosam fore, pepercerat. Frater quoque eius Perdicca pari insidiarum fraude decipitur. Indignum prorsus, libidinis

nis causa liberos a matre vita priuatos, quam scelerum suorum suppliciis liberorum contemplatio vindicauerat. Perdiccae hoc indignior caedes videbatur, quod ei apud matrem misericordiam nec parvulus quidem filius conciliauerat. Itaque Philippus diu non regem, sed tutorem pupilli egit. At vbi grauiora bella imminebant, serumque auxilium in exspectatione infantis erat, compulsus a populo regnum suscepit.

CAP. VI. Vt est ingressus imperium, magna de illo spes omnibus fuit; & propter ipsius ingenium, quod magnum ac spondebat virum; & propter vetera Macedoniae fata: quae cecinerant, vno ex Amyntae filiis regnante, florentissimum fore Macedoniae statum; cui spei scelus matris hunc residuum fecerat. Principio regni, cum hinc caedes fratrum indigne peremtorum, inde hostium multitudo: hinc insidiarum metus, inde inopia continuis bellis exhausti regni, immaturam aetatem tironis vrgerent; bella, quae velut conspiratione quadam ad opprimendam Macedoniam, multarum gentium ex diuersis locis vno tempore confluebant, quoniam omnibus par esse non poterat, dispensanda ratus; alia interposita pactione componit, alia redimit, facillimis quibusque aggressis, quorum victoria & militum trepidos animos firmaret, & contemtum sibi hostium demeret. Primum illi cum Athenienſibus certamen fuit: quibus per insidias victis, metu belli gravio-

vioris; cum interficere omnes posset, incolumes sine pretio dimisit. Post haec bello in Illyrios translato, multa millia hostium caedit. Vrbem nobilissimam Larissam capit. Hinc Thessaliam, non praedae cupiditate, sed quod exercitui suo robur Thessalorum equitum adiungere gestiebat, nihil minus quam bellum metuentem, improuisus expugnat: vnumque corpus equitum pedestriumque copiarum inuicti exercitus fecit. Quibus rebus feliciter prouenientibus, Olympiadem, Neoptolemi regis Molossorum filiam vxorem ducit; conciliante nuptias fratre patruele, altore virginis Arruba, rege Molossorum; qui sororem Olympiadis Troadam in matrimonium habebat; quae causa illi exitii, malorumque omnium initium fuit. Nam dum regni incrementa affinitate Philippi acquisitorum sperat, proprio regno ab eodem priuatus, in exsilio consenuit. His ita gestis, Philippus iam non contentus summouere bella, vltro etiam quietos lacessit. Cum Methonam vrbem oppugnaret, in praetereuntem de muris sagitta iacta, dextrum oculum regis effodit. Quo vulnere nec segnior in bellum, nec iracundior aduersus hostes factus est; adeo vt interiectis diebus pacem deprecantibus dederit; nec moderatus tantum, verum etiam mitis aduersus victos fuerit.

LIBER

LIBER VIII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Graeciae clades sub Philippo Macedone. Thebani & Phocenses ciuilis belli faces.*
2. *Thebani Philippum accersunt, qui Phocenses opprimit. Athenienses saluti publicae pro virili consulunt.*
3. *Contra Philippus Graeciam lacerat, Cappadociam Macedoniae adiungit, Olynthios delet. Latrocinium exercet variis modis.*
4. *Athenienſibus, Theſſalis, Bœotis & Phocenſibus callide imponit.*
5. *Phocenses ad deditionem, & reliquos Graecos cogit ad seruile obsequium.*
6. *Monarchiam cum summa iniustitia constituit.*

CAP. I.

Graeciae ciuitates dum imperare singulae cupiunt, imperium omnes perdiderunt: quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, omnibus perire quod singulae amitterent, nonnisi oppressae senserunt. Siquidem Philippus rex Macedoniae, velut e specula quadam, libertati omnium insidiatus

tus, dum contentiones ciuitatium alit, auxilium inferioribus ferendo, victos pariter victoresque subire regiam seruitutem coëgit. Causa & origo huius mali Thebani fuere: qui cum rerum potirentur, secundam fortunam imbecillo animo ferentes, victos armis Lacedaemonios & Phocenses, quasi parua supplicia caedibus & rapinis luissent, apud commune Graeciae concilium superbe accusauerunt. Lacedaemoniis crimini datum, quod arcem Thebanam inducarum tempore occupassent: Phocensibus, quod Boeotiam depopulati essent: prorsus quasi post arma & bellum, locum legibus reliquissent. Cum iudicium arbitrio victorum exerceretur, tanta pecunia damnantur, quanta exsolui non posset. Igitur Phocenses cum agris, liberis, coniugibus ue priuarentur, desperatis rebus, Philomelo quodam duce, velut deo irascentes, templum ipsum Apollinis Delphis occupauere. Inde auro, & pecunia diuites, conducto mercenario milite, bellum Thebanis intulerunt. Factum Phocensium, tametsi omnes execrarentur propter sacrilegium, plus tamen inuidiae Thebanis, a quibus ad hanc necessitatem compulsi fuerant, quam ipsis intulit. Itaque auxilia his & ab Athenienſibus, & a Lacedaemoniis missa. Prima igitur congressione Philomelus Thebanos castris exuit. Sequenti praelio primus inter confertissimos dimicans cecidit, & sacrilegii poenas impio sanguine luit. In huius locum dux Onomarchus creatur.

CAP.

CAP. II. Aduersus quem Thebani Thessalique non ex ciuibus suis, ne victores potentiam ferre non possent, sed Philippum Macedoniae regem ducem eligunt; & externae dominationi, quam in suis timuerunt, sponte succedunt. Igitur Philippus quasi sacrilegii, non Thebanorum vltor esset, omnes milites coronas laureas sumere iubet, atque ita veluti deo duce in praelium pergit. Phocenses insignibus dei conspectis, conscientia delictorum territi, abiectis armis fugam capessunt, poenasque violatae religionis sanguine & caedibus suis pendunt. Incredibile quantum ea res apud omnes nationes Philippo gloriae dedit. Illum vindicem sacrilegii, illum vltorem religionum: quod orbis viribus expiari debuit, solum qui piacula exigeret extitisse. Dignum itaque qui diis proximus haberetur, per quem deorum maiestas vindicata sit. Sed Athenienses audito belli euentu, ne in Graeciam Philippus transiret, angustias Thermopylarum pari ratione sicuti antea aduenientibus Persis occupauere; sed nequaquam simili aut virtute, aut causa: siquidem tunc pro libertate Graeciae nunc pro sacrilegio publico; tunc a rapina hostium templa vindicaturi, nunc aduersus vindices, templorum raptores defensuri: aguntque propugnatores sceleris, cuius turpe erat alios vindices fuisse: immemores prorsus, quod in dubiis rebus suis, illo deo etiam consiliorum auctore vsi fuerant: quod illo duce tot bella victores inierant: tot vrbes auspicato condiderant: tantum imperium terra marique quaesierant:

erant: quod nihil sine maiestate numinis eius aut priuatae unquam, aut publicae rei gesserant. Tantum facinus admisisse ingenia omni doctrina exculta, pulcherrimis legibus institutisque formata, vt quid posthac succensere jure barbaris possent, non haberent.

CAP. III. Sed nec Philippus melioris fidei aduersus socios fuit: quippe veluti timens, ne ab hostibus sacrilegii scelere vinceretur, ciuitates, quarum paulo ante dux fuerat, quae sub auspiciis eius militauerant, quae gratulatae illi sibique victoriam fuerant, hostiliter occupatas diripuit: coniuges liberosque omnium sub corona vendidit: non deorum immortalium templis, non aedibus sacris, non diis penatibus publicis priuatisque, ad quos paulo ante ingressus hospitaliter fuerat, pepercit: prorsus vt non tam sacrilegii vltor exstitisse, quam sacrilegiorum licentiam quaesisse videretur. Inde veluti rebus egregie gestis, in Cappadociam traiicit: vbi bello pari perfidia gesto, captisque per dolum & occisis finitimis regibus, vniuersam prouinciam imperio Macedoniae adiungit. Deinde ad abolendam inuidiae famam, qua insignis praeter caeteros tunc temporis habebatur, per regna mittit, & opulentissimas ciuitates, qui opinionem sererent, regem Philippum magna pecunia locare, & muros per ciuitates, & fana, & templa facienda; & vt per praecones susceptores sollicitarent: Qui cum in Macedoniam venissent, variis dilationibus fru-

stra-

strati, vim regiae maiestatis timentes, taciti proficiscebantur. Post haec Olynthios aggreditur, receperant enim per misericordiam, post caedem vnius, duos fratres eius, quos Philippus ex nouerca genitos, veluti participes regni interficere gestiebat. Ob hanc igitur causam vrbem antiquam & nobilem exscindit, & fratres olim destinato supplicio tradit: praedaque ingenti pariter & parricidii voto fruitur. Inde quasi omnia, quae agitasset animo, ei licerent, auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia occupat. Et ne quod ius vel fas inuiolatum praetermitteret, piraticam quoque exercere instituit. His ita gestis forte euenit, vt eum fratres duo, reges Thraciae, non contemplatione iustitiae eius, sed inuicem metuentes ne alterius viribus accederet, disceptationum suarum iudicem eligerent. Sed Philippus, more ingenii sui, ad iudicium veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, instructo exercitu superuenit: & regno vtrumque non iudicis more, sed fraude latronis ac scelere spoliauit.

CAP. IV. Dum haec aguntur, legati Athenienſium petentes pacem ad eum venerunt. Quibus auditis, & ipse legatos Athenas cum pacis conditionibus misit: ibique ex commodo vtrorumque pax facta. Ex caeteris quoque Graeciae ciuitatibus, non pacis amore, sed belli metu legationes venere. Siquidem crudescente ira, Thessali, Bœotiique orant, vt professum aduersum Phocenses ducem Graeciae exhibeat: tanto odio Phocensium ar-

den-

dentes, vt obliti cladium suarum, perire ipsi, quam non perdere eos praeoptarent; expertamque Philippi crudelitatem pati, quam parcere hostibus suis mallent. Contra Phocensium legati, adhibitis Lacedaemoniis & Athenienſibus, bellum deprecabantur, cuius ab eo dilationem ter iam emerant. Foedum prorsus miserandumque spectaculum, Graeciam etiam nunc & viribus, & dignitate orbis terrarum principem; regum certe gentiumque semper victricem, & multarum adhuc vrbium dominam, alienis excubare sedibus; aut rogantem bellum, aut deprecantem: in alterius ope omnem spem posuisse orbis terrarum vindices; eoque discordia sua, ciuilibusque bellis redactos, vt adulentur vltro sordidam paulo ante clientelae suae partem; & haec potissimum facere Thebanos Lacedaemoniosque, antea inter se imperii, nunc Graeciae imperantis aemulos. Philippus, venditatione gloriae suae, tantarum vrbium fastidium agitat; atque vtros potius dignetur, aestimat. Secreto igitur auditis vtrisque legationibus, his veniam belli pollicetur, iureiurando adactis, responsum nemini prodituros: illis contra venturum se, auxiliumque laturum. Vtrosque vetat parare bellum, aut metuere. Sic variato responso securis omnibus, Thermopylarum angustias occupat.

CAP. V. Tunc primum Phocenses captos se fraude Philippi animaduertentes, trepidi ad arma confugiunt. Sed neque spatium erat instruendi belli,

belli, nec tempus ad contrahenda auxilia: & Philippus excidium minabatur, ni fieret deditio. Victi igitur necessitate, pacta salute se dediderunt. Sed pactio eius fidei fuit, cuius antea fuerat deprecati belli promissio. Igitur caeduntur passim, rapivnturque; non liberi parentibus, non coniuges maritis, non deorum simulacra templis suis relinquuntur. Vnum tantum miseris solatium fuit, quod, cum Philippus portione praedae socios fraudasset, nihil rerum suarum apud inimicos viderunt. Reuersus in regnum, vt pecora pastores nunc in hybernos, nunc in aestiuos saltus traiiciunt, sic ille populos & vrbes, vt illi vel replenda, vel derelinquenda quaeque loca videbantur, ad libidinem suam transfert. Miseranda vbique facies, & excidio similis erat: Non quidem pauor ille hostilis, nec discursus per vrbem militum erat: non tumultus armorum; non bonorum atque hominum rapina: sed tacitus moeror & luctus, verentibus ne ipsae lacrymae pro contumacia haberentur. Crescit dissimulatione ipsa dolor, hoc altius demissus, quo minus profiteri licet. Nunc sepulcra maiorum, nunc veteres penates, nunc tecta, in quibus geniti erant, in quibusque genuerant, considerabant: miserantes nunc vicem suam, quod in eam diem vixissent; nunc filiorum, quod non post eam diem nati essent.

CAP. VI. Alios populos in finibus ipsis, hostibus opponit: alios in extremis (regni terminis)

statuit: quosdam bello captos in supplementis vrbium diuidit. Atque ita ex multis gentibus nationibusque vnum regnum populumque constituit. Compositis ordinatisque Macedoniae rebus, Dardanos, caeterosque finitimos fraude captos expugnat. Sed nec à proximis manus abstinet. Siquidem Arrybam regem Epiri, vxori suae Olympiadi arctissima cognatione iunctum, pellere regno statuit, atque Alexandrum priuignum eius, vxoris Olympiadis fratrem, puerum honestae pulcritudinis, in Macedoniam nomine sororis arcessit, omnique studio sollicitatum spe regni, simulato amore ad stupri consuetudinem perpulit, maiora in eo obsequia habiturus, siue conscientiae pudore, siue regni beneficio. Cum igitur ad viginti annos peruenisset, ereptum Arrybae regnum puero admodum tradit, sceleste in vtroque. Nam nec in eo ius cognationis seruauit, cui ademit regnum; & eum, cui dedit, impudicum fecit antequam regem.

LIBER IX.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Philippus cogitat de Graecia subiuganda; ideo Byzantium, sed frustra, obsidet.*

2. *A*

2. *A Scytharum rege variis modis deluditur, vnde pugna & praeda abducta.*
3. *Triballi Philippum praeda spoliant. Atheniensis & Thebanos Philippus praelio atterit.*
4. *Victoria moderate vtitur: saeuit in Thebanos, qui fortiter se gerunt.*
5. *Graeciam pacare studet, vt Persas bello adoriatur.*
6. *Pausanias Philippum obtruncat, vltionem ab iniquo iudice exigens.*
7. *Philippus Olympiade & Alexandro consciis interficitur.*
8. *Philippi elogium eiusdemque cum Alexandro filio & successore comparatio.*

CAP. I.

In Graeciam Philippus cum venisset, sollicitatus paucarum ciuitatium direptione, & ex praeda modicarum vrbium, quantae opes vniuersarum essent, animo prospiciens; bellum toti Graeciae inferre statuit. Ad cujus emolumentum egregie pertinere ratus, si Byzantium nobilem & maritimam vrbem, receptaculum terra marique copiis suis futuram, in potestatem redegisset, eandem claudentem sibi portas, obsidione cinxit. Haec namque vrbs condita primo a Pausania rege Spartanorum, & per VII annos possessa fuit; deinde

variante victoria, nunc Lacedaemoniorum, nunc Athenienſium iuris habita eſt. Quae incerta poſſeſſio effecit, vt nemine quaſi ſuam auxiliis iuuante, libertatem conſtantius tueretur. Igitur Philippus longa obſidionis mora exhauſtus, pecuniae commercium de piratica mutuatur. Captis itaque centum ſeptuaginta nauibus, mercibusque diſtractis, anhelantem inopiam paululum recreauit. Deinde, ne vnius vrbis oppugnatione tantus exercitus tereretur, profectus cum fortiſſimis, multas Cherſonenſium vrbes expugnat. Filiumque Alexandrum decem & octo annos natum, vt ſub militia patris tirocinii rudimenta deponeret, ad ſe arceſſit. In Scythiam quoque praedandi cauſa profectus eſt, more negotiantium, impenſas belli alio bello refecturus.

CAP. II. Erat eo tempore Rex Scytharum Atheas, qui cum bello Iſtrianorum premeretur, auxilium à Philippo per Apollonienſes petit, in ſucceſſionem eum regni Scythiae adoptaturus. Cum interim Iſtrianorum rex decedens, & metu belli, & auxiliorum neceſſitate Scythas ſoluit. Itaque Atheas remiſſis Macedonibus renuntiari Philippo iubet, neque auxilium eius ſe petiſſe, neque adoptionem mandaſſe. Nam neque vindicta Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent: neque heredem ſibi incolumi filio deeſſe. His auditis Philippus legatos ad Atheam mittit, impenſae obſidionis portionem petentes, ne inopia deſerere bel-

bellum cogatur. Quod eo promtius eum facere debere, quod missis a se in auxilium eius militibus, ne sumtum quidem viae, non modo officii pretia dederit. Atheas inclementiam caeli, & terrae sterilitatem causatus, quae non patrimoniis ditet Scythas, sed vix alimenta exhibeat, respondit, nullas sibi opes esse, quibus tantum regem expleat; & turpius putare paruo defungi, quam totum abnuere: Scythas autem virtute animi, & duritia corporis, non opibus censeri. Quibus derisus Philippus, soluta obsidione Byzantii, Scythica bella aggreditur, praemissis legatis, quo securiores faceret, qui nuntient Atheae, dum Byzantium obsidet, vouisse se statuam Herculi, ad quam in ostio Istri ponendam se venire, pacatum accessum ad religionem dei petens, amicus ipse Scythis venturus. Ille si voto fungi vellet, statuam sibi mitti iubet; non modo vt ponatur, verum etiam vt inuiolata maneat, pollicetur: Exercitum autem fines ingredi negat se passurum. Ac si inuitis Scythis statuam ponat; eo digresso sublaturum, versurumque aes statuae in aculeos sagittarum. His vtrinque irritatis animis, praelium committitur. Cum virtute & numero praestarent Scythae, astu Philippi vincuntur. Viginti millia puerorum ac feminarum capta, pecoris magna vis, auri argentique nihil. Ea primum fides inopiae Scythicae fuit. Viginti millia nobilium equarum ad genus faciendum in Macedoniam missa.

CAP. III. Sed reuertenti ab Scythia, Triballi Philippo occurrunt negant se transitum daturos, ni portionem accipiant praedae. Hinc iurgium, & mox praelium; in quo ita in femore vulneratus est Philippus, vt per corpus eius equus interficeretur. Cum omnes occisum putarent, praeda amissa est. Ita Scythica, velut deuota spolia pene luctuosa Macedonibus fuere. Vbi vero ex vulnere primum conualuit, diu dissimulatum bellum Athenienſibus infert: quorum causae Thebani se iunxere, metuentes, ne victis Athenienſibus, veluti vicinum incendium belli ad se transiret. Facta igitur inter duas paulo ante infestissimas ciuitates societate, legationibus Graeciam fatigant; communem hostem putant communibus viribus summouendum: neque enim cessaturum Philippum, si prospere prima succesſerint, nisi omnem Graeciam domuerit. Motae quaedam ciuitates Athenienſibus se iungunt: quasdam autem ad Philippum belli metus traxit. Praelio commisso, cum Athenienſes longe maiore militum numero praestarent, assiduis bellis indurata virtute Macedonum vincuntur: non tamen immemores pristinae gloriae cecidere: quippe aduersis vulneribus, omnes loca quae tuenda a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Hic dies vniuersae Graeciae & gloriam dominationis, & vetustissimam libertatem finiuit.

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0108
DFG

CAP. IV. Huius victoriae callide dissimulata laetitia est. Denique non solita sacra Philippus illa die fecit: non in conuiuio risit: non ludos inter epulas adhibuit: non coronas aut unguenta sumsit; & quantum in illo fuit, ita vicit, vt victorem nemo sentiret. Sed nec regem se Graeciae; sed ducem appellari iussit. Atque ita inter tacitam laetitiam & dolorem hostium temperauit, ut neque apud suos exultasse, neque apud victos insultasse videretur. Athenienſibus, quos passus infestissimos fuerat, & captiuos gratis remisit; & bello consumtorum corpora sepulturae reddidit; reliquiasque funerum vt ad sepulcra maiorum deferrent, vltro hortatus est. Super haec Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum his amicitiamque iungerent, Athenas misit. Thebanorum porro non solum captiuos, verum etiam interfectorum sepulturam vendidit. Principes ciuitatis alios securi percussit: alios in exsilium redegit, bonaque omnium occupauit. Pulsos deinde per iniuriam, in patriam restituit; ex horum numero CCC exsules, iudices rectoresque ciuitati dedit: apud quos cum potentissimi quique rei eius ipsius criminis postularentur, quod per iniuriam se in exsilium egissent, huius constantiae fuerunt, vt omnes se auctores faterentur, meliusque cum republica actum, cum damnati essent, quam cum restituti, contenderent. Mira prorsus audacia: de iudicibus vitae necisque suae, quemadmodum possunt, sententiam ferunt; contemnuntque absolutionem,

quam dare inimici possunt: & quoniam rebus nequeunt vlcisci, verbis vsurpant libertatem.

CAP. V. Compositis in Graecia rebus, Philippus omnium ciuitatium legatos ad formandum rerum praesentium statum euocari Corinthum iubet. Ibi pacis legem vniuersae Graeciae pro meritis singularum ciuitatium statuit; conciliumque omnium, veluti vnum senatum, ex omnibus legit. Soli Lacedaemonii, & legem, & regem contempserunt: seruitutem non pacem rati, quae non ipsis ciuitatibus conueniret, sed a victore ferretur. Auxilia deinde singularum ciuitatium describuntur. sine adiuuandos ea manu rex oppugnante aliquo foret, seu duce illo bellum inferendum. Neque enim dubium erat, imperium Persarum his apparatibus peti, summa auxiliorum ducenta millia peditum fuere, & equitum quindecim millia. Extra hanc summam & Macedoniae exercitus erat, & confinis domitarum gentium barbaries. Initio veris tres duces in Asiam Persarum iuris praemittit, Parmenionem, Amyntam, & Attalum, cuius sororem nuper expulsa Alexandri matre Olympiade, propter stupri suspicionem, in matrimonium receperat.

CAP. VI. Interea dum auxilia a Graecia coëunt, nuptias Cleopatrae filiae, & Alexandri, quem regem Epiri fecerat, celebrat. Dies erat pro magnitudine duorum regum, & collocantis filiam, &

& vxorem ducentis apparatibus insignis. Sed nec ludorum magnificentia deerat: ad quorum spectaculum Philippus dum sine custodibus, medius inter duos Alexandros, filium generumque contenderet, Pausanias nobilis ex Macedonibus adolescens, nemini suspectus, occupatis angustiis, Philippum in transitu obtruncat: diemque laetitiae destinatum, foedum luctu funeris facit. Hic Pausanias primis pubertatis annis stuprum per iniuriam passus ab Attalo fuerat: cuius indignitati haec etiam foeditas accesserat: nam perductum in conuiuium, solutumque mero Attalus, non suae tantum, verum & conuiuarum libidini, velut scortum vile subiecerat, ludibriumque omnium inter aequales reddiderat. Hanc rem aegre ferens Pausanias, querelam Philippo saepe detulerat. Cum variis frustrationibus non sine risu differretur, & honoratum insuper ducatu aduersarium cerneret; iram in ipsum Philippum vertit; vltionemque, quam ab aduersario non poterat, ab iniquo iudice exegit.

CAP. VII. Creditum est etiam, immissum ab Olympiade matre Alexandri fuisse; nec ipsum Alexandrum ignarum paternae caedis exstitisse: quippe non minus Olympiadem repudium, & praelatam sibi Cleopatram, quam stuprum Pausaniam doluisse. Alexandrum quoque, regni aemulum fratrem ex nouerca susceptum timuisse: eoque actum, vt in conuiuio antea primum cum Attalo, mox cum ipso patre iurgaret: adeo vt etiam stricto gladio

eum Philippus consectatus sit, aegreque a filii caede amicorum precibus exoratus. Quamobrem Alexander ad auunculum se in Epirum cum matre, inde ad regem Illyriorum contulerat: vixque reuocanti mitigatus est patri, precibusque cognatorum aegre redire compulsus. Olympias quoque fratrem suum Alexandrum Epiri regem in bellum subornabat, peruicissetque, ni filiae nuptiis pater generum occupasset. His stimulis irarum vtrique Pausaniam de impunitate stupri sui querentem ad tantum facinus impulisse creduntur. Olympias certe fugienti percussori equos quoque praeparatos habuit. Ipsa deinde, audita regis nece, cum titulo officii ad exequias cucurrisset, in cruce pendentis Pausaniae capiti, eadem nocte qua venit, coronam auream imposuit: quod nemo alius audere, nisi haec, superstite Philippi filio, potuisset. Paucos deinde post dies, refixum corpus interfectoris super reliquias mariti cremauit; & tumulum ei eodem fecit in loco, parentarique eidem quotannis, incussa populo superstitione, curauit. Post haec Cleopatram, a qua pulsa Philippi matrimonio fuerat, in gremio eius prius filia interfecta, finire vitam suspendio coëgit, spectaculoque pendentis vltionem potita est, ad quam per parricidium festinauerat. Nouissime gladium, quo rex percussus est, Apollini sub nomine Myrtalis consecrauit: hoc enim nomen ante Olympiadis paruulae fuit. Quae omnia ita palam facta sunt, vt timuisse videatur, ne facinus ab ea commissum non probaretur.

CAP.

CAP. IIX. Deceſſit Philippus XL & VII annorum, cum annis XXV regnaſſet. Genuit ex Lariſſaea ſaltatrice filium Aridaeum, qui poſt Alexandrum regnauit. Habuit & alios multos ex variis matrimoniis regio more ſuſceptos, qui partim fato, partim ferro periere. Fuit rex armorum quam conuiuiorum apparatibus ſtudioſior; cui maximae opes erant inſtrumenta bellorum: diuitiarum quaeſtu quam cuſtodia ſolertior: itaque inter quotidianas rapinas ſemper inops erat. Miſericordia in eo & perfidia pari iure dilectae. Nulla apud eum turpis ratio vincendi. Blandus pariter, & inſidioſus alloquio; qui plura promitteret, quam praeſtaret: in ſeria & iocos artifex. Amicitias vtilitate, non fide colebat. Gratiam fingere in odio, inſtruere inter concordantes odia, apud vtrumque gratiam quaerere, ſollemnis illi conſuetudo. Inter haec eloquentia, & inſignis oratio, acuminis & ſollertiae plena: vt nec ornatui facilitas, nec facilitati inuentionum deeſſet ornatus. Huic Alexander filius ſucceſſit, & virtute & vitiis patre maior. Itaque vincendi ratio vtrique diuerſa. Hic aperte, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hoſtibus, hic palam fuſis. Prudentior ille conſilio, hic animo magnificentior. Iram pater diſſimulare, plerumque etiam vincere: hic vbi exarſiſſet, nec dilatio vltionis nec modus erat. Vini nimis vterque auidus: ſed ebrietatis diuerſa vitia. Patri mos erat etiam de conuiuio in hoſtem procurrere, manum conſerere, periculis ſe temere

offerre: Alexander non in hostem, sed in suos saeviebat. Quamobrem Philippum saepe vulneratum praelia remisere: hic amicorum interfector conuiuio frequenter exceſſit. Regnare ille cum amicis* nolebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Litterarum cultus vtrique similis. Sollertiae pater maioris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus & promtior & honestior. Frugalitati pater, luxuriae filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater iecit, operis totius gloriam filius consummauit. * alii volebat.

LIBER X.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Artaxerxis filii in Patrem conspirant. Sed conspiratione detecta, parricidii poenas dant.*
2. *Causa parricidii ex multiplici libidine nata.*
3. *Ochus Artaxerxis successor cognatorum Principum strage regiam replet. Persicae Monarchiae finis.*

CAP.

CAP. I.

Artaxerxi regi Persarum ex pellicibus CXV filii fuere, sed tres tantum iusto matrimonio suscepti: Darius, Ariarates & Ochus. Ex his Darium contra morem Persarum, apud quos rex non nisi morte mutatur, per indulgentiam pater regem viuus fecit; Nihil sibi ablatum existimans, quod in filium contulisset, sinceriusque gaudium ex procreatione capturus, si insignia maiestatis suae vivus in filio conspexisset. Sed Darius, post noua paternae pietatis exempla, interficiendi patris consilium cepit. Sceleratus, si solus parricidium cogitasset; tanto sceleratior, quod in societatem facinoris assumtos, quinquaginta fratres fecit parricidas. Ostenti prorsus genus, vbi in tanto populo non solum sociari, verum etiam fileri parricidium potuit; vt ex quinquaginta liberis nemo inuentus sit, quem aut paterna maiestas, aut veneratio senis, aut indulgentia patris, a tanta immanitate reuocaret. Adeone vile paternum nomen apud tot numero filios fuit, vt quorum praesidio tutus etiam aduersus hostes esse debuerat, eorum insidiis circumuentus, tutior ab hostibus quam a filiis fuerit?

CAP. II. Causa parricidii sceleratior ipso parricidio fuit. Occiso quippe Cyro fraterno bello, cuius mentio supra habita est, Aspasiam pellicem eius Rex Artaxerxes in matrimonium recepe-

rat. Hanc patrem cedere sibi, sicuti regnum, Darius postulauerat: qui pro indulgentia sua in liberos primo facturum se dixerat: mox poenitentia ductus, vt honeste negaret, quod temere promiserat, Solis eam sacerdotio praefecit, quo perpetua illi ab omnibus viris pudicitia imperabatur. Hinc exacerbatus iuuenis, in iurgia primo patris erupit: mox facta cum fratribus coniuratione, dum patri insidias parat, deprehensus cum sociis, poenas parricidii diis paternae maiestatis vltoribus dedit. Coniuges quoque omnium cum liberis, ne quod vestigium tanti sceleris exstaret, interfectae. Post haec Artaxerxes morbo ex dolore contracto decedit, rex quam pater felicior.

CAP. III. Hereditas regni Ocho tradita, qui timens parem coniurationem, regiam cognatorum caede & strage principum replet, nulla non sanguinis, non sexus, non aetatis misericordia permotus: scilicet ne innocentior fratribus parricidis haberetur. Atque ita veluti purificato regno, bellum Caduſiis infert. In eo cum aduersus provocatorem hostium Codomannus quidam, omnium fauore processisset, hoste caeso, victoriam suis pariter, & prope amissam gloriam restituit. Ob haec decora idem Codomannus praeficitur Armeniis. Interiecto deinde tempore, post mortem Ochi regis, ob memoriam pristinae virtutis, Rex a populo constituitur, Darii nomine, ne quid regiae maiestati deesset, honoratus; bellumque cum Ale-

Alexandro Magno, diu variante fortuna, magna virtute gessit. Postremo victus ab Alexandro, & a cognatis occisus, vitam pariter cum Persarum regno finiuit.

LIBER XI.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Occiso Philippo Alexander Macedones in officio continet.*
2. *Initia principatus Alexandri. Persas bello aggredi constituit.*
3. *Graecos defectionem cogitantes coërcet.*
4. *Thebas victis incolis euertit. Athenienſibus infestus.*
5. *Saeuit in Nouercae suae cognatos, & in consanguineos suos, deinde bellum Persicum aggreditur.*
6. *Disciplinam militarem ordinat. Parua manu ingentia molitur. Persas praelio superat.*
7. *Insidiis vitatis Gordium nodum fatalem callide soluit.*
8. *Tauro monte transcenso in grauissimum morbum incidit, & sanitati restituitur.*

9. *Ad*

9. *Ad alterum praelium apparatus. Atrox pugna. Strages Persarum, & fuga Darii, cuius Vxor, Mater, Filia, captivae ab Alexandro regie excipiuntur.*
10. *Persis superatis a Persarum luxu Alexander superatur. Nouae in Orientem victoriae. Tyrus expugnatur.*
11. *Prouinciis non paucis receptis pergit ad Hammonis oraculum.*
12. *Darii regnum ambit, & pacem petenti recusat.*
13. *Tertii praelii inter Alexandrum & Darium circumstantiae quaedam.*
14. *Eiusdem praelii descriptio. Persae fugantur, victores praeda ingenti potiuntur.*
15. *Darius a suis vinctus & multis vulneribus confossus, salutem dicit Alexandro, & in morte regium animum prodit. Alexander Darii obitum fletu & regia sepultura decorat.*

CAP. I.

In exercitu Philippi, sicuti variae gentes erant, ita eo occiso, diuersi motus animorum fuere. Alii quippe iniusta seruitute oppressi, ad spem se libertatis erigebant: alii taedio longinquae militiae, remissam sibi expeditionem gaudebant: non-

nonnulli facem, nuptiis filiae accensam, rogo patris subditam dolebant. Amicos quoque, tam subita mutatione rerum haut mediocris metus ceperat, reputantes nunc prouocatam Asiam: nunc Europam nondum perdomitam; nunc Illyrios & Thracas, & Dardanos, ceterasque barbaras gentes fidei dubiae, & mentis infidae, qui omnes populi si pariter deficiant, resisti nullo modo posse. Queis rebus veluti medela quaedam interuentus Alexandri fuit; qui pro concione ita vulgus omne consolatus hortatusque pro tempore est, vt & metum timentibus demeret, & spe omnes impleret. Erat hic annos XX natus: in qua aetate ita moderate de se multa pollicitus est, vt appareret, plura eum experimentis reseruare. Macedonibus immunitatem cunctarum rerum, praeter militiae vacationem dedit: quo facto tantum sibi fauorem omnium conciliauit, vt corpus hominis, non virtutem regis mutasse se dicerent.

CAP. II. Prima illi cura paternarum exequiarum fuit: in quibus ante omnia caedis conscios ad tumulum patris occidi iussit: soli Alexandro Lyncistarum fratri pepercit, seruans in eo auspicium dignitatis suae: nam regem eum primus salutauerat. Aemulum quoque imperii Caranum fratrem, ex nouerca susceptum, interfici curauit. Inter initia multas gentes rebellantes compescuit: orientes nonnullas seditiones exstinxit. Quibus rebus erectus, citato gradu in Graeciam contendit, vbi

vbi exemplo patris Corinthum euocatis ciuitatibus, dux in locum eius substituitur. Inchoatum deinde a patre Persicum bellum aggreditur, in cuius apparatu occupato nuntiatur, Athenienses & Lacedaemonios ab eo ad Persas defeciſſe, auctoremque eius defectionis, magno auri pondere a Persis corruptum, Demosthenem oratorem exstitiſſe; qui Macedonum deletas omnes cum rege copias a Triballis affirmauerit, producto in concionem auctore, qui in eo praelio, in quo rex ceciderit, ſe quoque vulneratum diceret. Qua opinione mutatos omnium ferme ciuitatium animos eſſe: praeſidia Macedonum obſideri. Quibus motibus occurſurus, tanta celeritate inſtructo paratoque exercitu Graeciam oppreſſit, vt quem venire non ſenſerant, videre ſe vix crederent.

CAP. III. In tranſitu hortatus Theſſalos fuerat; beneficiorumque Philippi patris, maternaeque ſuae cum his *ſub Aeacidarum gente neceſſitudinis admonuerat. Cupide haec Theſſalis audientibus, exemplo patris dux vniuerſae gentis creatus erat, & vectigalia omnia, reditusque ſuos ei tradiderant. Sed Athenienſes, ſicuti primi defecerant, ita primi poenitere coeperunt: contemtum hoſtis in admirationem vertentes, pueritiamque Alexandri ſpretam antea, ſupra virtutem veterum ducum extollentes. Miſſis itaque legatis, bellum deprecantur: quibus auditis & grauiter increpatis, Alexander bellum remiſit. Inde Thebas exercitum

*alii: ab.

con-

conuertit, eadem indulgentia vsurus, si parem poenitentiam inuenisset. Sed Thebani armis, non precibus, nec deprecatione vsi sunt. Itaque victi, grauissima quaeque supplicia miserrimae captiuitatis experti sunt. In consilio cum de excidio vrbis deliberaretur, Phocenses, & Plataeenses, & Thespienses, & Orchomenii, Alexandri socii, victoriaeque participes, excidia vrbium suarum, crudelitatemque Thebanorum referebant: studia in Persas non praesentia tantum, verum & vetera aduersus Graeciae libertatem increpantes. Quamobrem odium eos omnium populorum esse: quod vel ex eo manifestari, quod iureiurando se omnes obstrinxerint, vt victis Persis Thebas diruerent. Adiiciunt & scelerum priorum fabulas, quibus omnes scenas repleuerint, vt non praesenti tantum perfidia, verum & vetere infamia intuisi forent.

CAP. IV. Tunc Cleadas vnus ex captiuis, data potestate dicendi, non a rege defecisse, quem interfectum audierint, sed a regis heredibus: quicquid in eo sit admissum, credulitatis, non perfidiae culpam esse; cuius tamen iam magna se supplicia pependisse, deleta iuuentute: nunc senum feminarumque sicuti infirmum, ita innoxium restare vulgus, quod ipsum stupris contumeliisque ita vexatum esse, vt nihil amarius vnquam sint passi: nec iam pro ciuibus se, qui tam pauci remanserint, orare; sed pro innoxio patriae solo, & pro vrbe, quae non viros tantum, verum & deos genuerit.

Pri-

Priuata etiam regem superstitione deprecatur, geniti apud ipsos Herculis, vnde originem gens Aeacidarum trahat, actaque Thebis à patre eius Philippo pueritia: rogat, vrbi parcat, quae maiores eius, partim apud se genitos, deos adoret: partim educatos, summae maiestatis reges viderit. Sed potentior fuit ira, quam preces. Itaque vrbs diruitur: agri inter victores diuiduntur: captiui sub corona venduntur, quorum pretium non ex ementium commodo, sed ex inimicorum odio extenditur. Miseranda res Athenienſibus visa. Itaque portas refugiis profugorum contra interdictum regis aperuere. Quam rem ita grauiter tulit Alexander, vt secunda legatione denuo bellum deprecantibus, ita demum remiserit, vt oratores & duces, quorum fiducia toties rebellent, sibi dedantur: paratisque Athenienſibus, ne cogantur subire bellum, eo res reducta est, vt retentis oratoribus, duces in exsilium agerentur: qui ex continenti ad Darium profecti, non mediocre momentum Persarum viribus accessere.

CAP. V. Proficiscens ad Persicum bellum, omnes nouercae suae cognatos, quos Philippus in excelsiorem dignitatis locum prouehens, imperiis praefecerat, interfecit. Sed nec suis, qui apti regno videbantur, pepercit, ne qua materia seditionis, procul se agente, in Macedonia remaneret: & reges stipendiarios conspectioris ingenii, ad commilitium secum trahit: segniores ad tutelam

regni

regni relinquit. Adunato deinde exercitu naues onerat: vnde conſpecta Aſia, incredibili ardore mentis accenſus, duodecim aras deorum in belli vota ſtatuit. Patrimonium omne ſuum, quod in Macedonia, Europaque habebat, amicis diuidit, ſibi Aſiam ſufficere praefatus. Priusquam vlla navis litore excederet, hoſtias caedit, petens victoriam bello, quo toties a Perſis petitae Graeciae victor electus ſit: quibus longe iam ſatis, & matura imperia contigiſſe, quorumque tempus eſſe vices excipere melius acturos. Sed nec exercitus eius alia, quam regis animorum praeſumtio fuit: quippe obliti omnes coniugum, liberorumque, & longinquae domo militiae Perſicum aurum, & totius Orientis opes, iam quaſi ſuam praedam ducebant: nec belli periculorumque, ſed diuitiarum meminerant. Cum delati in continentem eſſent, primus Alexander iaculum velut in hoſtilem terram iecit; armatusque de navi tripudianti ſimilis proſiluit; atque ita hoſtias caedit; precatus ne ſe regem illae terrae inuitae accipiant. In Ilio quoque ad tumulos heroum, qui Troiano bello ceciderant, parentauit.

CAP. VI. Inde hoſtem petens, milites, a populatione Aſiae prohibuit, parcendum ſuis rebus praefatus, nec perdenda ea, quae poſſeſſuri venerint. In exercitu eius fuere peditum XXX duo millia, equitum quatuor millia quingenti, naues centum LXXXII. Hac tam parua manu vniver-

versum terrarum orbem vtrum sit admirabilius, vicerit, an aggredi ausus fuerit, incertum est: cum ad tam periculosum bellum exercitum legeret, non iuvenes robustos, nec primum florem aetatis, sed veteranos, plerosque etiam emeritae militiae, qui cum patre patruisque militauerant, elegit: vt non tam milites, quam magistros militiae electos putares. Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit: vt si principia castrorum cerneres, senatum te alicuius priscae reipubl. videre diceres. Itaque nemo in praelio fugam, sed victoriam cogitauit: nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis fuit. Contra Rex Persarum Darius, fiducia virium, nil astu agere; affirmans suis, occulta consilia victoriae furtiuae conuenire; nec hostem regni finibus arcere, sed in intimum regnum accipere: gloriosius ratus repellere bellum, quam non admittere. Prima igitur congressio in campis Adrastiis fuit. In acie Persarum sexcenta millia militum fuere, quae non minus arte Alexandri, quam virtute Macedonum superata, terga verterunt. Magna itaque caedes Persarum fuit. De exercitu Alexandri novem pedites, centum viginti equites cecidere; quos rex impense, ad ceterorum exemplum humatos, statuis equestribus donauit, cognatisque eorum immunitates dedit. Post victoriam maior pars Asiae ad eum defecit. Gessit & plura bella cum praefectis Darii, quos iam non tam armis, quam terrore nominis sui vicit.

CAP.

CAP. VII. Dum haec aguntur, interim indicio captiui ad eum defertur, insidias ei ab Alexandro* Lyncistarum, genero Antipatri, qui praepositus Macedoniae erat, parari. Ob quam causam timens, ne quis interfecto eo in Macedonia motus oriretur, in vinculis eum habuit. Post haec Gordien vrbem petit, quae posita est inter Phrygiam maiorem & minorem: cuius vrbis potiundae non tam propter praedam cupido eum cepit, sed quod audierat in ea vrbe, in templo Iouis iugum Gordii positum; cuius nexum si quis soluisset, eum tota Asia regnaturum, antiqua oracula ceciniſſe. Huius rei causa & origo illa fuit. Gordius cum in his regionibus bubus conductis araret, aues eum omnis generis circumuolare coeperunt. Profectus ad consulendos augures vicinae vrbis, obuiam in porta habuit virginem eximiae pulcritudinis: percontatus eam, quem potissimum augurem consuleret: illa audita causa consulendi, gnara artis ex disciplina parentum, regnum ei portendi, respondit: pollicetur que se & matrimonii, & spei sociam. Tam pulcra conditio, prima regni felicitas videbatur. Post nuptias, inter Phrygas orta seditio est. Consulentibus de fine discordiarum, oracula responderunt, regem discordiis opus esse. Iterato quaerentibus de persona regis, iubentur eum regem obseruare, quem reuersi primum in templum Iouis euntem plaustro reperissent. Obuius illis Gordius fuit, statimque eum regem consalutant. Ille plaustrum, quo vehenti regnum delatum fu-

* alii: Lyncista. erat,

erat, in templo Iouis positum, maiestati regiae consecrauit. Post hunc filius Mida regnauit, qui ab Orpheo sacrorum sollemnibus initiatus, Phrygiam Religionibus impleuit: quibus tutior omni vita, quam armis fuit. Igitur Alexander capta vrbe cum in templum Iouis veniisset, iugum plaustri * requisiuit: quo exhibito, cum capita loramentorum intra nodos abscondita reperire non posset, violentius oraculo vsus gladio loramenta caedit: atque ita resolutis nexibus, latentia in nodis capita inuenit. alii addunt: Gordii.

CAP. IIX. Haec illi agenti, nuntiatur, Darium cum ingenti exercitu aduentare. Itaque timens angustias, magna celeritate Taurum transcendit: in qua festinatione quingenta stadia cursu fecit. Cum Tarsum veniisset, captus Cydni fluminis amoenitate, per mediam vrbem influentis, proiectis armis, plenus pulueris ac sudoris, in praefrigidam vndam se proiecit. Tum repente tantus neruos eius occupauit rigor, vt intercluſa voce non spes modo remedii, sed nec dilatio periculi inueniretur. Vnus erat ex medicis, nomine Philippus, qui solus remedium polliceretur: sed & ipsum Parmenionis pridie a Cappadocia missae epistolae suspectum faciebant: qui ignarus infirmitatis Alexandri scripserat, a Philippo medico caueret: nam corruptum illum a Dario ingenti pecunia esse. Tutius tamen est ratus, dubiae se fidei medici credere, quam indubitato morbo perire. Accepto igitur

tur poculo, epistolas medico tradidit; atque ita inter bibendum oculos in vultum legentis intendit. Vt securum conspexit, laetior factus est, sanitatemque quarta die recepit.

CAP. IX. Interea Darius cum quadringentis millibus peditum, ac centum millibus equitum in aciem procedit. Monebat haec multitudo hostium, respectu paucitatis suae, Alexandrum: sed interdum reputabat, quantas res cum ista paucitate gessisset: quantosque populos fudisset. Itaque cum spes metum vinceret, periculosius differre bellum ratus, ne desperatio suis cresceret, circumuectus suos, singulas gentes diuersa oratione alloquitur: Illyrios & Thracas opum ac diuitiarum ostentatione, Graecos veterum bellorum memoria, internecinique cum Persis odii accendebat: Macedones autem nunc Europae victae admonet, nunc Asiae expetitae: nec inuentos illis toto orbe pares viros gloriatur. Caeterum & laborum finem hunc, & gloriae cumulum fore. Atque inter haec identidem consistere aciem iubet, vt hac mora consuescant oculis turbam hostium sustinere. Nec Darii regis opera in ordinanda acie defuit. Quippe omissis ducum officiis ipse omnia circumire, singulos hortari, veteris gloriae Persarum, imperiique perpetuae à diis immortalibus datae possessionis admonere. Post haec praelium ingentibus animis committitur. In eo vterque rex vulneratur. Tamdiu certamen anceps fuit; quoad fuge-

ret Darius. Exinde caedes Persarum secuta est. Caesa sunt peditum vnum & sexaginta millia, equitum decem millia: capta quadraginta millia. Ex Macedonibus cecidere pedestres CXXX. equites CL. In castris Persarum multum auri, ceterarumque opum inuentum. Inter captiuos castrorum, mater, & vxor eademque soror, & filiae duae, Darii fuere. Ad quas visendas hortandasque cum Alexander venisset, conspectis armatis inuicem se amplexae, velut statim morituraе complorationem ediderunt. Prouolutae deinde genibus Alexandri, non mortem, sed dum Darii corpus sepeliant, dilationem mortis, deprecantur. Motus tanta mulierum pietate Alexander, & Darium viuere dixit: & timentibus mortis metum demsit: easque haberi vt reginas praecepit. Filias quoque non sordidius dignitate patris sperare matrimonium iussit.

CAP. X. Post haec opes Darii, diuitiarumque apparatum contemplatus, admiratione tantarum rerum capitur. Tunc primum luxuriosa conuiuia, & magnificentiam epularum sectari: tunc Barsanen captiuam diligere propter formae pulcritudinem cepit. A qua postea susceptum puerum Herculem vocauit. Memor tamen adhuc Darium viuere, Parmenionem ad occupandam Persicam classem, aliosque amicos ad recipiendas Asiae ciuitates misit: quae statim audita fama victoriae, ipsis Darii praefectis cum auri magno pondere tradenden-

dentibus se, in potestatem victorum venerunt. Tunc in Syriam proficiscitur: vbi obuios cum insulis multos Orientis reges habuit. Ex his pro meritis singulorum alios in societatem recepit: aliis regnum ademit, suffectis in loca eorum nouis regibus. Insignis praeter caeteros fuit Abdalonimus, Rex ab Alexandro Sidoniae constitutus. Quem Alexander, cum operam oblocare ad puteos exhauriendos, hortosque irrigandos solitus esset, misere vitam exhibentem, regem fecerat, spretis nobilibus, ne generis id, non dantis beneficium putarent. Tyriorum ciuitas cum coronam auream magni ponderis, per legatos in titulum gratulationis Alexandro misisset, grate munere accepto, Tyrum se ire velle ad vota Herculi reddenda, dixit. Cum legati rectius id eum in Tyro vetere & antiquiore templo facturum dicerent, in deprecantes eius introitum ita exarsit, vt vrbi excidium minaretur: confestimque exercitu insulae applicato, non minus animosis Tyriis fiducia Carthaginiensium, bello excipitur. Augebat enim Tyriis animos Didonis exemplum, quae Carthagine condita, tertiam partem orbis quaesiuisset; turpe ducentes, si feminis suis plus animi fuisset in imperio quaerendo, quam sibi in tuenda libertate. Amota igitur imbelli aetate Carthaginem, & arcessitis mox auxiliis, non magno post tempore per proditionem capiuntur.

CAP. XI. Inde Rhodum Alexander, Aegyptum, Ciliciamque sine certamine recipit. Ad Jovem deinde Hammonem pergit, consulturus & de euentu futurorum, & de origine sua. Namque mater eius Olympias confessa viro suo Philippo fuerat, Alexandrum non ex eo se, sed ex serpente ingentis magnitudinis concepisse. Denique Philippus vltimo prope vitae suae tempore, filium suum non esse palam praedicauerat. Qua ex causa Olympiadem, velut stupri compertam, repudio dimiserat. Igitur Alexander cupiens originem diuinitatis acquirere, simul & matrem infamia liberare, per praemissos subornat antistites, quid sibi responderi velit. Ingredientem templum, statim antistites vt Hammonis filium salutant. Ille laetus dei adoptione, hoc se patre censeri iubet. Rogat deinde, an omnes interfectores parentis sui sit vltus: respondetur, patrem eius nec posse interfici, nec mori: regis Philippi peractam plene vltionem esse. Tertiam interrogationem poscenti, victoriam omnium bellorum, possessionemque terrarum dari respondetur. Comitibus quoque suis responsum, vt Alexandrum pro deo, non pro rege colerent. Hinc illi aucta insolentia, mirusque animo increuit tumor, exemta comitate, quam & Graecorum litteris, & Macedonum institutis didicerat. Reuersus ab Hammone Alexandriam condidit, & coloniam Macedonum caput esse Aegypti iubet.

CAP.

CAP. XII. Darius cum Babyloniam profugisset, per epistolas Alexandrum deprecatur, redimendarum sibi captiuarum potestatem faciat, inque eam rem, magnam pecuniam pollicetur, sed Alexander in pretium captiuarum regnum omne, non pecuniam petit. Interiecto tempore, aliae epistolae Darii Alexandro redduntur, quibus filiae matrimonium & regni portio offertur. Sed Alexander sua sibi dari rescripsit; iussitque supplicem venire, & regni arbitria victori permittere. Tum spe pacis amissa, bellum Darius reparat: cum quadringentis millibus peditum, & centum millibus equitum obuiam vadit Alexandro. In itinere nuntiatur, vxorem eius ex collisione abiecti partus decessisse, eiusque mortem illacrymatum Alexandrum, exequiasque benigne prosecutum, idque eum non amoris, sed humanitatis causa fecisse. Nam semel tantum eam Alexandro visam esse, cum matrem filiasque eius paruulas frequenter consolaretur. Tunc Darius se ratus vere victum, cum post tot praelia, etiam beneficiis ab hoste superaretur, gratumque sibi esse, si vincere nequeat, quod à tali potissimum vinceretur. Scribit itaque & tertias epistolas, & gratias agit, quod nihil in suos hostile fecerit. Offert deinde maiorem partem regni vsque flumen Euphraten, & alteram filiam vxorem, pro reliquis captiuis triginta millia talentum. Ad haec Alexander gratiarum actionem ab hoste superuacaneam esse respondit; nec a se quicquam factum in hostis adulationem, nec quod in

dubios belli exitus, aut in leges pacis sibi lenocinia quaereret: sed animi magnitudine, qua didicerit aduersus vires hostium, non aduersus calamitates contendere; polliceturque praestaturum se ea Dario, si secundus sibi, non par haberi velit. Caeterum neque mundum posse duobus solibus regi: neque orbem summa duo regna saluo statu terrarum habere: proinde aut deditionem ea die, aut in posterum aciem paret: nec polliceatur sibi aliam, quam sit expertus, victoriam.

CAP. XIII. Postera die aciem producunt: tum repente ante praelium, confectum curis Alexandrum somnus arripuit. Cum ad pugnam solus Rex deesset, à Parmenione aegre excitatus, quaerentibus somni causas omnibus inter pericula, cum etiam in otio semper parcior fuerit: Magno se aestu liberatum ait, somnumque sibi à repentina securitate datum, quod liceat cum omnibus Darii copiis confligere: veritum se longam belli moram, si Persae exercitum diuisissent. Ante praelium vtraque acies hostibus spectaculo fuit. Macedones multitudinem hominum, corporum magnitudinem armorumque pulcritudinem mirabantur: Persae, a tam paucis victa suorum tot millia stupebant. Sed nec duces circumire suos cessabant. Darius vix denis armatis singulos hostes, si diuisio fieret, euenire dicebat. Alexander Macedonas monebat, ne multitudine hostium, nec corporis magnitudine, vel coloris nouitate moverentur: tantum memi-

miniſſe iubet, cum iisdem ſe tertio pugnare; neu meliores factos putarent fuga, cum in aciem ſecum tam triſtem memoriam caedium ſuarum, & tantum ſanguinis duobus praeliis fuſi ferrent: & quemadmodum Dario maiorem turbam hominum eſſe, ſic virorum ſibi. Hortatur, ſpernant illam aciem auro & argento fulgentem, in qua plus praedae, quam periculi ſit; cum victoria non armorum decore, ſed ferri virtute quaeratur.

CAP. XIV. Poſt haec praelium committitur. Macedones in ferrum cum contemtu toties a ſe victi hoſtis ruebant: contra Perſae mori, quam vinci praeoptabant. Raro vllo praelio tantum ſanguinis fuſum eſt. Darius cum vinci ſuos videret, mori voluit & ipſe; ſed a proximis fugere compulſus eſt. Suadentibus deinde quibusdam, vt pons Cydni fluminis, ad iter hoſtium impediendum, intercluderetur; Non ita ſe ſaluti ſuae velle conſultum ait, vt tot millia ſociorum hoſti obiiciat: debere & aliis fugae viam patere, quae patuerit ſibi. Alexander autem periculoſiſſima quaeque aggrediebatur; & vbi confertiſſimos hoſtes acerrime pugnare conſpexiſſet, eo ſe ſemper ingerebat, periculaque ſua eſſe, non militum volebat. Hoc praelio Aſiae imperium rapuit, quinto poſt accepto regnum anno; cuius tanta felicitas fuit, vt poſt hoc nemo rebellare auſus ſit: patienterque Perſae poſt imperium tot annorum, iugum ſeruitutis acceperint. Donatis refectisque militibus XXXIV diebus praedam

dam recognouit. In vrbe deinde Susa XL millia talentum inuenit. Expugnat & Persepolim, caput Persici regni, vrbem multis annis illustrem, refertamque orbis terrarum spoliis, quae interitu eius primum apparuere. Inter haec DCCC admodum Graeci occurrunt Alexandro, qui poenam captiuitatis truncata corporis parte tulerant; rogantes, vt sicuti Graeciam, se quoque ab hostium crudelitate vindicaret. Data potestate redeundi, agros accipere maluerunt, ne non tam gaudium parentibus, quam detestandum sui conspectum reportarent.

CAP. XV. Interea Darius in gratiam victoris a cognatis suis, aureis compedibus catenisque in vico Parthorum Thara vincitur. Credo ita diis immortalibus iudicantibus, vt in terra eorum, qui successuri imperio erant, Persarum regnum finiretur. Alexander quoque citato cursu postera die superuenit: ibique cognouit Darium clauso vehiculo per noctem exportatum. Iusso itaque exercitu subsequi, cum sex millibus equitum, fugientem insequitur: in itinere multa & periculosa praelia facit. Emensus deinde multa millia passuum, cum nullum Darii indicium reperisset, respirandi equis data potestate vnus ex militibus, dum ad fontem proximum pergit, in vehiculo Darium, multis quidem vulneribus confossum, sed spirantem adhuc inuenit: qui applicito captiuo cum ciuem ex voce cognouisset, id saltem praesentis fortunae so-

la-

latium habere se dixit, quod apud intellecturum locuturus esset, nec incassum postremas voces emissurus. Perferri haec Alexandro iubet, se nullis in eum meritorum officiis, maximorum illi debitorem mori, quod in matre liberisque suis, regium eius, non hostilem animum expertus, felicius hostem quam cognatos sortitus sit: quippe matri & liberis suis ab eodem hoste vitam datam: sibi a cognatis ereptam, quibus & vitam, & regna dederit: Quamobrem gratiam illis eam futuram, quam ipse victor volet. Alexandro referre se, quam solam moriens possit, gratiam: precari superum inferumque numina, & regales deos, vti illi terrarum omnium victori contingat imperium. Pro se iustam magis, quam grauem sepulturae veniam orare. Quod ad vltionem pertineat, iam non suam, sed exempli, communemque omnium regum esse causam, quam negligere, illi & indecorum & periculosum esse: quippe cum in altero iustitiae eius, in altero etiam vtilitatis causa versetur. In quam rem vnicum pignus fidei regiae, dexteram se ferendam Alexandro dare. Post haec porrecta manu exspirauit. Quae vbi Alexandro nuntiata sunt, viso corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lacrymis prosecutus est; corpusque regio more sepeliri, & reliquias eius, maiorum tumulis inferri iussit.

LIBER XII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Alexandri in retinendo milite sollertia. Graeci bellum absente Alexandro reparant.*
2. *Alexander Rex Epiri Italiam turbat, & tandem in pugna cadit; Scythae Alexandri praefectum & exercitum internecione delent.*
3. *Alexandri simulatio, ambitio, cum Thalestri concubitus, luxus & profusiones.*
4. *Qua ratione Macedones tumultuantes in officio continuerit.*
5. *In domesticos suos ferrum stringit & noua ratione aduersarios vlciscitur, populos multos subigit, & Bessum Darii interfectorem de medio tolli curat.*
6. *In conuiuio mactat Clitum amicum, quem frustra desiderat peccati sera poenitentia ductus.*
7. *Ad ingenium reuersus in prudentes consiliarios saeuit: ad Orientem statuit imperii limites. Bacchi vestigiis delectatur;*

tur: Herculisque gesta superare contendit.

8. Porum praelio superatum regie excipit & dimittit: multis populis expugnatis quietem exercitui concedere velle videtur.

9. Bellum instaurat. In Sugambrorum vrbe de vita certat & periclitatur.

10. Ab amicis periculo ereptus, Oceanum lustrat: terminos imperii statuit: praefectos vitae priuat, & ad nuptias applicat animum.

11. Liberalitas, munificentia & seueritas eiusdem.

12. Qua ratione Macedones seditiosos ad officium reuocauerit. Hephaestionis obitus & tumulus.

13. Dum Occidentales Prouinciae manus porrigunt, Alexander in lethalem morbum incidit Babylonem pergens.

14. Alexander Antipatri artibus veneno exstinguitur.

15. Alexandri moribundi nouissima verba.

16. Eiusdem Alexandri Magni elogium.

CAP. I.

Alexander in prosequendo Dario amissos milites, magnis funerum impensis extulit; reliquis expeditionis eius sociis, tredecim millia talen-

tum diuisit. Equorum maior pars aestu amissa inutilesque etiam, qui superfuerant, facti. Pecunia omnis centum nonaginta millia talentum Ecbatana congesta, eique Parmenio praepositus. Dum haec aguntur, epistolae Antipatri e Macedonia ei redduntur, quibus bellum Agidis regis Spartanorum in Graecia; bellum Alexandri regis Epiri in Italia; bellum Sopyrionis praefecti eius in Scythia, continebatur. Quibus varie affectus, plus tamen laetitiae cognitis mortibus duorum aemulorum regum, quam doloris amissi cum Sopyrione exercitus, suscepit. Namque post profectionem Alexandri, Graecia ferme omnis in occasionem recuperandae libertatis, ad arma concurrerat, auctoritatem Lacedaemoniorum secuta, qui Philippi Alexandrique pacem soli spreuerant & leges respuerant. Dux huius belli Agis Rex Lacedaemoniorum fuit, quem motum Antipater contractis militibus in ipso ortu oppressit. Magna tamen vtrinque caedes fuit. Agis rex cum suos terga dantes videret, dimissis satellitibus, vt Alexandro felicitate, non virtute inferior videretur, tantam stragem hostium edidit, vt agmina interdum fugaret. Ad postremum, etsi a multitudine victus, gloria tamen omnes vicit.

CAP. II. Porro Alexander Rex Epiri, in Italiam a Tarentinis, auxilia aduersus Brutios deprecantibus, sollicitatus, ita cupide profectus fuerat, veluti in diuisione orbis terrarum, Alexandro Olym-

Olympiadis sororis suae filio Oriens, sibi Occidens sorte contigisset; non minorem rerum materiam in Italia, Africa, Siciliaque, quam ille in Asia, & in Persis habiturus. Huc accedebat, quod sicut Alexandro magno Delphica oracula insidias in Macedonia, ita huic responsum Dodonaei Jouis vrbem Pandosiam, amnemque Acheruſium praedixerat. Quae vtraque cum in Epiro essent, ignarus eadem & in Italia esse, ad declinanda fatorum pericula, peregrinam militiam cupidius elegerat. Igitur, cum in Italiam venisset, primum illi bellum cum Appulis fuit: quorum cognito vrbis fato, breui post tempore pacem & amicitiam cum rege eorum fecit. Erat namque tunc temporis urbs Appulis Brundusium, quam Aetoli, sequuti tum fama rerum in Troia gestarum clarissimum ac nobilissimum ducem Diomedem, condiderant, sed pulsi ab Appulis, consulentes oracula responsum acceperant, locum, quem repetissent, perpetuo possessuros. Hac igitur ex causa, per legatos cum belli comminatione, restitui sibi ab Appulis vrbem postulauerant. Sed vbi Appulis oraculum innotuit, interfectos legatos in vrbe sepelierant, perpetuam ibi sedem habituros. Atque ita defuncti responso, diu vrbem possederunt. Quod factum cum cognouisset Alexander, antiquitatis fata veneratus, bello Appulorum abstinuit. Gessit & cum Brutiis Lucanisque bellum; multasque vrbes cepit: tum & cum Metapontinis, & Pediculis, & Romanis, foedus amicitiamque fecit. Sed Brutii Lu-

canique, cum auxilia a finitimis contraxissent, acrius bellum repetiuere. Ibi rex iuxta vrbem Pandosiam, & flumen Acheronta, non prius fatalis loci cognito nomine quam occideret, interficitur; moriensque non in patria fuisse sibi periculosam mortem, propter quam patriam fugerat, intellexit. Corpus eius Thurii publice redemtum sepulturae tradiderunt. Dum haec aguntur in Italia, Sopyrion quoque praefectus Ponti ab Alexandro Magno relictus, otiosum se ratus, si nihil & ipse gessisset, adunato XXX millium exercitu, Scythis bellum intulit: caesusque cum omnibus copiis, poenas temere illati belli genti innoxiae luit.

CAP. III. Haec cum nuntiata in Parthis Alexandro essent, simulato moerore, propter Alexandri cognationem, exercitui suo triduum luctum indixit. Omnibus deinde, velut perpetrato bello, reditum in patriam exspectantibus, coniuges ac liberos suos animo iam quodammodo complectentibus, ad concionem exercitum vocat, ibi nihil actum tot egregiis praeliis ait, si incolumis Orientalis barbaria relinquatur: nec se corpus, sed regnum Darii petisse; persequendosque esse eos, qui a regno defecerint. Hac oratione velut ex integro incitatis militum animis, Hyrcaniam, Mardosque subegit. Ibi ei occurrit Thalestris siue Minithaea Amazonum regina cum CCC mulieribus, XXV dierum inter confertissimas gentes itinere confecto, ex rege liberos quaesitura: cuius conspectus aduentusq;

ad-

admirationi omnibus fuit, & propter insolitum feminis habitum, & propter expetitum concubitum. Ob hoc tredecim diebus otio a rege datis, vt visa est vterum impleſſe, discessit. Post haec Alexander habitum regum Persarum, & diadema, insolitum antea regibus Macedonicis, velut in leges eorum quos vicerat transiret, assumit. Quae ne invidiosius in se vno conspicerentur, amicos quoque suos longam vestem auratam purpureamque sumere iubet. Vt luxum quoque sicuti cultum Persarum imitaretur, inter pellicum regiarum greges electae pulcritudinis nobilitatisque, noctium vices diuidit. His rebus ingentes epularum apparatus adiicit, ne ieiuna & destructa luxuria videretur, conuiuiumque iuxta regiam magnificentiam ludis exornat: immemor prorsus, tantas opes amitti his moribus, non quaeri solere.

CAP. IV. Inter haec indignatio omnium totis castris erat, a Philippo illum patre tantum degenerauisse, vt etiam patriae nomen eiuraret, moresque Persarum assumeret, quos propter tales mores vicerat. Sed ne solus vitiis eorum, quos armis subegerat, succubuisse videretur; militibus quoque suis permisit, si quarum captiuarum consuetudine tenerentur, ducere vxores, existimans minorem in patriam reditus cupiditatem futuram, habentibus in castris imaginem quandam larium, ac domesticae sedis: simul & laborem militiae molliorem fore dulcedine vxorum. In supplementa quo-

que

que militum minus exhauriri posse Macedoniam, si veteranis patribus tirones filii succederent, militaturi in vallo, in quo essent nati; constantioresque futuri, si non solum tirocinia, verum & incunabula in ipsis castris posuissent. Quae consuetudo in successores quoque Alexandri mansit. Igitur & alimenta pueris statuta; & instrumenta armorum equorumque iuuenibus data; & patribus, pro numero filiorum, praemia statuta. Si quorum patres occidissent, nihilominus pupilli stipendia patrum trahebant; quorum pueritia inter varias expeditiones, militia erat. Itaque a paruula aetate periculis laboribusque indurati, inuictus exercitus fuere: neque castra aliter quam patriam, neque pugnam aliud vnquam quam victoriam duxere. Haec suboles nomen habuit Epigoni. Parthis deinde domitis, praefectus his statuitur ex nobilibus Persarum Andragoras: vnde postea originem Parthorum reges habuere.

CAP. V. Interea Alexander non regio, sed hostili odio saeuire in suos coepit. Maxime indignabatur, carpi se sermonibus suorum, Philippi patris, patriaeque mores subuertisse. Propter quae crimina, Parmenion quoque senex, dignitate regi proximus, cum Philota filio, de vtroque prius quaestionibus habitis, interficitur. Fremere itaque omnes vniuersis castris coepere, innoxii senis filiique casum miserantes; interdum se quoque non debere melius sperare dicentes. Quae cum nuntia-

ta

ta Alexandro essent, verens ne haec opinio etiam in Macedoniam diuulgaretur, & ne victoriae gloria saeuitiae macula infuscaretur, simulat se ex amicis quosdam in patriam victoriae nuntios missurum. Hortatur milites suis scribere, rariorem habituros occasionem, propter militiam remotiorem. Datos fasces epistolarum tacite ad se deferri iubet: ex quibus cognito de se singulorum iudicio, in vnam cohortem eos, qui de rege durius opinati fuerant, contribuit, aut consumturus eos, aut in vltimis terris in colonias distributurus. Inde Drancas, Euergetas, Parymas, Parapammenos, Adrspios, caeterosque populos, qui in radice Caucasi morabantur, subegit. Interea vnus ex amicis Darii Bessus, vinctus perducitur, qui regem non solum prodiderat, verum & interfecerat. Quem in vltionem perfidiae excruciandum fratri Darii tradidit; reputans non tam hostem suum fuisse Darium, quam amicum eius, a quo esset occisus. Et vt his terris nomen relinqueret, vrbem Alexandriam super amnem Tanaim condidit, intra diem septimum decimum muro VI millium passuum consummato, translatis eo trium ciuitatium populis, quas Cyrus condiderat. In Bactrianis quoque Sogdianisque XII vrbes condidit, distributis his, quoscunque in exercitu seditiosos habebat.

CAP. VI. His ita gestis sollemni die amicos in conuiuium vocat; Vbi orta inter ebrios rerum a Philippo gestarum mentione, praeferre se patri ipse, rerum-

rerumque suarum magnitudinem extollere caelo tenus coepit, assentante maiore conuiuarum parte. Itaque cum vnus e senibus Clitus, fiducia amicitiae regiae, cuius palmam tenebat, memoriam Philippi tueretur, laudaretque eius res gestas; adeo regem offendit, vt telo a satellite rapto, eundem in conuiuio trucidauerit. Qua caede exsultans, mortuo patrocinium Philippi, laudemque paternae militiae obiectabat. Postquam satiatus caede animus conquieuit, & in irae locum successit aestimatio, modo personam occisi, modo causam occidendi considerans, pigere eum facti coepit: quippe paternas laudes tam iracunde accepisse se, quam nec conuicia debuisset; amicumque senem & innoxium a se occisum inter epulas & pocula, dolebat. Eodem igitur furore in poenitentiam, quo pridem in iram versus, mori voluit. Primum in fletus progressus, amplecti mortuum, vulnera tractare, & quasi audienti confiteri dementiam; arreptum telum in se vertit: peregisset que facinus, nisi amici interuenissent. Mansit haec voluntas moriendi etiam sequentibus diebus. Accesserat enim poenitentiae, nutricis suae & sororis Cliti recordatio, cuius absentis eum maxime pudebat: tam foedam illi alimentorum suorum mercedem redditam, vt in cuius manibus pueritiam egerat, huic iuuenis, & victor, pro beneficiis funera remitteret. Reputabat deinde, quantum in exercitu suo, quantum apud deuictas gentes fabularum atque inuidiae, quantum apud caeteros amicos metum & odium sui fecerit:

quam

quam amarum & triſte reddiderit conuiuium ſuum; non armatus in acie, quam in conuiuio terribilior. Tunc Parmenion & Philotas, tunc Amyntas conſobrinus, tunc nouerca fratresque interfecti: tunc Attalus, Eurylochus, Pauſanias aliique Macedoniae exſtincti principes, occurrebant. Ob haec illi quatriduo perſeuerata inedia eſt, donec exercitus vniuerſi precibus exoratus eſt, precantis, ne ita mortem vnius doleat, vt vniuerſos perdat, quos in vltimam deductos Barbariam, inter infeſtas, & irritatas bello gentes, deſtituat. Multum profuere Calliſthenis philoſophi preces, condiſcipulatu apud Ariſtotelem familiaris illi, & tunc ab ipſo rege ad prodenda memoriae acta eius accitus. Reuocato igitur ad bellum animo, Choraſmos & Dahas in deditionem accepit.

CAP. VII. Deinde, quod primo ex Perſico ſuperbiae regiae more diſtulerat, ne omnia pariter inuidioſiora eſſent, non ſalutari, ſed adorari ſe iubet. Acerrimus inter recuſantes Calliſthenes fuit. Quae res & illi, & multis principibus Macedonum exitio fuit: ſiquidem ſub ſpecie inſidiarum omnes interfecti. Retentus tamen eſt a Macedonibus mos ſalutandi regis, exploſa adoratione. Poſt haec Indiam petit, vt Oceano, vltimoque Oriente finiret imperium. Cui gloriae, vt etiam exercitus ornamenta convenirent, phaleras equorum, & arma militum, argento inducit; exercitumque ſuum, ab argenteis clypeis, Argyraſpidas appellavit.

vit. Cum ad Nysam vrbem veniſſet, oppidanis non repugnantibus fiducia religionis Liberi patris, a quo condita vrbs erat, parci iuſſit: laetus non militiam tantum, verum & veſtigia ſe dei ſequutum. Tunc ad ſpectaculum ſacri montis duxit exercitum, naturalibus bonis, vite, hederaque non aliter veſtiti, quam ſi manu cultus, colentiumque induſtria exornatus eſſet. Sed exercitus eius, vbi ad montem acceſſit, repentino impetu mentis, in ſacros dei vlulatus inſtinctus, cum ſtupore regis, ſine noxa diſcurrit: vt intelligeret, non tam oppido ſe parcendo, quam exercitui ſuo conſuluiſſe. Inde montes Daedalos, regnaque Cleofidis reginae petit. Quae cum ſe dediſſet ei, concubitu redemtum regnum ab Alexandro recepit; illecebris conſecuta, quod virtute non potuerat: filiumque ab eo genitum, Alexandrum nominauit, qui poſtea regnum Indorum potitus eſt. Cleofis regina, propter proſtratam pudicitiam, ſcortum regium ab Indis exinde appellata eſt. Peragrata India, cum ad ſaxum mirae aſperitatis & altitudinis, in quod multi populi confugerant, perueniſſet, cognoſcit, Herculem ab expugnatione eiusdem ſaxi terrae motu prohibitum: Captus itaque cupidine, Herculis acta ſuperare, cum ſummo labore ac periculo potitus ſaxo, omnes eius loci gentes in deditionem accipit.

CAP. IIX. Vnus ex regibus Indorum fuit, Porus nomine, viribus corporis, & animi magni-

gnitudine pariter insignis, qui bellum iampridem, audita Alexandri opinione, in aduentum eius parabat. Commisso itaque praelio, exercitum suum Macedonas inuadere iubet; sibi regem eorum priuatum hostem deposcit. Nec Alexander pugnae moram fecit: sed prima congressione vulnerato equo, cum praeceps ad terram decidisset, concursu satellitum seruatur. Porus multis vulneribus obrutus capitur. Qui victum se adeo doluit, vt cum veniam ab hoste accepisset, neque cibum sumere voluerit; neque vulnera curari passus sit; aegreque sit ab eo obtentum, vt vellet viuere. Quem Alexander ob honorem virtutis, incolumem in regnum remisit. Duas ibi vrbes condidit: vnam Nicaeam, alteram ex nomine equi Bucephalen vocauit. Inde Adrestas, Gesteanos, Praesidas, Gangaridas, caesis eorum exercitibus, expugnat. Cum ad Cuphites venisset, vbi eum hostium ducenta millia equitum opperiebantur, exercitus omnis, non minus victoriarum numero, quam laboribus fessus, lacrymis eum deprecatur, finem tandem belli faceret: aliquando patriae, reditusque meminisset; respiceret militum annos, quibus vix aetas ad reditum sufficeret: ostendere alius caniciem, alius vulnera, alius aetate consumta corpora, alius cicatricibus exhausta: solos se esse qui duorum regum, Philippi Alexandrique, continuam militiam pertulerint. Tandem orare, vt reliquias saltem suas paternis sepulchris reddat, quorum non studiis deficiatur, quam annis: Ac si

non

non militibus, vel ipse sibi parcat, ne fortunam suam nimis onerando fatiget. Motus hic tam iustis precibus, velut in finem victoriae, castra solito magnificentiora fieri iussit, quorum molitionibus & hostis terreretur, & posteris admiratio sui relinqueretur. Nullum opus milites lactius fecere. Itaque caesis hostibus, cum gratulatione in eadem reuerterunt.

CAP. IX. Inde Alexander ad amnem Acesinem pergit: per hunc in Oceanum deuehitur. Ibi Hiacensanas Sileosque, quos Hercules condidit, in deditionem accepit. Hinc in Ambros & Sugambros nauigat. Quae gentes eum armatis LXXX millibus peditum, & LX millibus equitum excipiunt. Cum praelio victor esset, exercitum ad vrbem eorum ducit. Quam desertam a defensoribus, cum de muro, quem primus ceperat, animaduertisset, in vrbis planiciem sine vllo satellite desiliit. Itaque cum eum hostes solum conspexissent, clamore edito, vndique concurrunt, si possint in vno capite orbis bella finire, & vltionem tot gentibus dare. Nec minus Alexander constanter restitit, & vnus aduersus tot millia praeliatur. Incredibile dictu est, vt eum non multitudo hostium, non vis magna telorum, non tantus lacessentium clamor terruerit; solus tot millia ceciderit ac fugauerit. Vbi vero obrui multitudine se vidit, trunco se, qui tum propter murum stabat, applicuit, cuius

ius auxilio tutus, cum diu agmen sustinuisset, tandem cognito periculo eius, amici ad eum desiliunt; ex quibus multi caesi: praeliumque tamdiu anceps fuit, quoad omnis exercitus, muris deiectis, in auxilium veniret. In eo praelio sagitta sub mamma traiectus, cum sanguinis fluxu deficeret, genu posito tamdiu praeliatus est, donec eum, a quo vulneratus fuerat, occiderat. Curatio vulneris grauior ipso vulnere fuit.

CAP. X. Itaque ex magna desperatione tandem saluti redditus, Polyperchonta cum exercitu Babyloniam mittit. Ipse cum lectissima manu navibus conscensis, Oceani litora peragrat. Cum veniisset ad vrbem Ambigeri regis, oppidani inuictum ferro audientes, sagittas veneno armant: atque ita gemino mortis vulnere, hostem a muris summouentes, plurimos interficiunt. Cum inter multos vulneratus etiam Ptolemaeus esset, morituruque iamiam videretur, per quietem regi monstrata in remedia veneni herba est, qua in potu accepta statim periculo liberatus est; maiorque pars exercitus hoc remedio seruata. Expugnata deinde vrbe, reuersus in naues, Oceano libamenta dedit, prosperum in patriam reditum precatus: ac veluti curru circa metam acto, positis imperii terminis, quatenus aut terrarum solitudines prodire passae sunt, aut mare nauigabile fuit, secundo aestu ostio fluminis Indi invehitur. Ibi in monumenta rerum a se gestarum, vrbem Barcen condidit; aras-

que

que statuit, relicto ex numero amicorum, litoralibus Indis praefecto. Inde iter terrestre facturus, cum arida loca medii itineris dicerentur, puteos opportunis locis fieri praecipit, quibus ingenti dulci aqua inuenta, Babyloniam redit. Ibi multae devictae gentes, praefectos suos accusauerunt; quos sine respectu amicitiae, Alexander in conspectu legatorum necari iussit. Filiam post haec Darii regis, Statiram, in matrimonium recepit: sed & optimatibus Macedonum lectas ex omnibus gentibus nobilissimas virgines tradidit, vt communi facto crimen regis leuaretur.

CAP. XI. Hinc ad concionem exercitum vocat; & promittit, se aes alienum omnium propria impensa soluturum, vt praedam praemiaque integra domos ferant. Insignis haec munificentia non summa tantum, verum etiam titulo muneris fuit, nec a debitoribus magis, quam a creditoribus gratius excepta; quoniam vtrisque exactio pariter ac solutio difficilis erat, XX millia talentum in hos sumtus expensa. Dimissis veteranis, exercitum iunioribus supplet. Sed retenti veteranorum discessum aegre ferentes, missionem & ipsi flagitabant: nec annos, sed stipendia sua numerari iubebant: pariter in militiam lectos, pariter sacramento solui, aequum censentes: nec iam precibus, sed conuicio agebant, iubentes eum solum cum patre suo Hammone inire bella, quatenus milites suos fastidiat. Contra ille nunc castigare mi-

milites; nunc lenibus verbis monere, ne gloriosam militiam seditionibus inficerent. Ad postremum cum verbis nihil proficeret; ad corripiendos seditionis auctores, e tribunali in concionem armatam inermis ipse desiliit, & nemine prohibente, XIII correptos, manu sua ipse ad supplicia duxit: tantam vel illis moriendi patientiam metus regis, vel huic exigendi supplicii constantiam disciplina militaris dabat.

CAP. XII. Inde separatim auxilia Persarum in concione alloquitur. Laudat perpetuam illorum, tum in se, tum in pristinos reges fidem; sua in illos beneficia commemorat; vt nunquam quasi victos, sed veluti victoriae socios habuerit: denique se in illorum, non illos in gentis suae morem transisse: affinitatibus connubiorum victos victoribus miscuisse: Nunc quoque, ait, custodiam corporis sui non Macedonibus tantum se, verum & illis creditur um. Atque ita mille ex his iuuenes in numerum satellitum legit: auxiliorum quoque portionem, formatam in disciplinam Macedonum, exercitui suo miscet. Quam rem aegre Macedones tulerunt, iactantes hostes suos in officium suum a rege subiectos. Tunc vniuersi flentes, regem adeunt: orant suppliciis suis potius saturet se, quam contumeliis. Qua modestia obtinuerunt, vt vndecim millia militum veteranorum exauctoraret. Sed & ex amicis dimissi senes, Polyperchon, Clytus, Gorgias, Polydamus, Amadas, Antigenes.

Dimissis his, Craterus praeponitur, iussus praeesse Macedonibus in Antipatri locum; Antipatrumque cum supplemento tironum in locum eius euocat: stipendia reuertentibus, veluti militantibus data. Dum haec aguntur, vnus ex amicis eius Ephaestion decedit, dotibus primo formae pueritiaeque, mox obsequiis regi percarus: quem contra decus regium Alexander diu luxit: tumulumque ei XII millium talentorum fecit; eumque post mortem coli vt deum iussit.

CAP. XIII. Ab vltimis litoribus Oceani Babyloniam reuertenti nuntiatur, legationes Carthaginiensium, ceterarumque Africae ciuitatium, sed & Hispaniarum, Siciliae, Galliae, Sardiniae, nonnullas quoque ex Italia eius aduentum Babyloniae opperiri. Adeo vniuersum terrarum orbem nominis eius terror inuaserat, vt cunctae gentes, veluti destinato sibi regi adularentur. Hac igitur ex causa Babyloniam festinanti veluti conuentum terrarum orbis acturo, quidam ex Magis praedixit, ne vrbem introiret, testatus, hunc locum ei fatalem fore. Ob hoc omissa Babylonia, in Bursiam vrbem trans Euphraten, desertam olim, concessit. Ibi ab Anaxarcho philosopho compulsus est rursum Magorum praedicta contemnere, vt falsa & incerta; & si satis constent, ignota mortalibus: at si naturae debeantur, immutabilia. Reuersus igitur Babyloniam, multis diebus otio datis, intermissum olim conuiuium sollemniter instituit: totusque in laetitiam

tiam effusus, cum diei noctem perui gilem iunxisset, recedentem iam e conuiuio medicus Thessalus, instaurata comissatione, & ipsum & sodales eius invitat. Accepto poculo, media potione repente veluti telo confixus, ingemuit: elatusque e conuivio semianimis, tanto dolore cruciatus est, vt ferrum in remedia posceret, tactumque hominum velut vulnera indolescere. Amici causam morbi, intemperiem ebrietatis disseminauerunt: re autem vera insidiae fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit.

CAP. XIV. Auctor insidiarum Antipater fuit, qui cum carissimos amicos eius interfectos videret: Alexandrum*Lyncistarum generum suum occisum: Se magnis rebus in Graecia gestis, non tam gratum apud regem, quam inuidiosum esse: a matre quoque eius Olympiade variis se criminationibus vexatum: Huc accedebant ante paucos dies, supplicia in praefectos deuictarum nationum crudeliter habita. Ex quibus rebus se quoque a Macedonia non ad societatem militiae, sed ad poenam euocatum arbitrabatur. Igitur ad occupandum regem, Cassandrum filium dato veneno subornat, qui cum fratribus Philippo & Iolla ministrare regi solebat: cuius veneni tanta vis fuit, vt non aere, non ferro, non testa contineretur, nec aliter ferri, nisi in vngula equi potuerit: praemonito filio, ne alii quam Thessalo, & fratribus crederet. Hac igitur ex causa, apud Thessalum, paratum,

*alii: Lyncistem.

repetitumque conuiuium est. Philippus & Iollas praegustare ac temperare potum regis soliti, in aqua frigida venenum habuerunt, quam praegustatae iam potioni supermiserunt.

CAP. XV. Quarta die Alexander indubitatam mortem sentiens, agnoscere se fatum domus maiorum suorum ait: nam plerosque Aeacidarum intra tricesimum annum defunctos. Tumultuantes deinde milites, insidiis periisse regem suspicantes, ipse sedauit; eosque omnes cum prolatus in editissimum urbis locum esset, ad conspectum suum admisit, osculandamque dextram suum flentibus porrexit. Cum lacrymarent omnes, ipse non sine lacrymis tantum, verum etiam sine vllo tristioris mentis argumento fuit, vt quosdam impatientius dolentes consolatus sit: quibusdam mandata ad parentes eorum dederit: adeo, sicuti in hostem, ita & in mortem inuictus animus fuit. Dimissis militibus, amicos circumstantes percontatur, videanturne similem sibi reperturi regem? Tacentibus cunctis, tum ipse, vt hoc nesciat, ita illud scire, vaticinarique se, ac paene oculis videre dixit, quantum sit in hoc certamine sanguinis fusura Macedonia; quantis caedibus, quo cruore, mortuo sibi parentatura. Ad postremum, corpus suum in Hammonis templo condi iubet. Cum deficere eum amici viderent, quaerunt, quem imperii faciat heredem: Respondit. Digniſſimum. Tanta illi magnitudo animi fuit, vt cum Herculem filium, cum fra-

fratrem Aridaeum, cum Roxanem vxorem praegnantem relinqueret? oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet heredem. Prorsus quasi nefas esset, viro forti alium quam virum fortem succedere; aut tanti regni opes aliis quam probatis relinqui. Hac voce veluti bellicum inter amicos ceciniſſet, aut malum discordiae misisset, ita omnes in aemulationem consurgunt, & ambitione vulgi tacitum fauorem militum quaerunt. Sexta die praecluſa voce, exemtum digito annulum Perdiccae tradidit: quae res gliscentem amicorum dissensionem sedauit. Nam etsi non voce nuncupatus heres, iudicio tamen electus esse videbatur.

CAP. XVI. Decessit Alexander, mensem vnum, annos tres & triginta natus; vir supra humanam potentiam magnitudine animi praeditus. Qua nocte eum mater Olympias concepit, visa per quietem est cum ingenti serpente volutari: nec decepta somnio est, nam profecto maius humana mortalitate opus vtero tulit: quam cum Aeacidarum gens ab vltima saeculorum memoria, & regna patris, fratris, mariti, ac deinceps maiorum omnium illustrauerint: nullius tamen nomine, quam filii, clarior fuit. Prodigia magnitudinis eius in ipso ortu nonnulla apparuere, nam ea die, qua natus est, duae aquilae tota die praepetes supra culmen domus patris eius sederunt, omen duplicis imperii, Europae Asiaeque praeferentes. Eadem

quoque die nuntium pater eius duarum victoriarum accepit; alterius, belli Illyrici; alterius, certaminis Olympici, in quod quadrigarum currus miserat: quod omen vniuersarum terrarum victoriam infanti portendebat. Puer acerrimis litterarum studiis eruditus fuit. Exacta pueritia, per quinquennium sub Aristotele, doctore inclyto omnium philosophorum, creuit. Accepto deinde imperio, regem se terrarum omnium ac mundi appellari iussit: tantamque fiduciam sui militibus fecit, vt illo praesente nullius hostis arma, nec inermes, timuerint. Itaque cum nullo hostium vnquam congressus est, quem non vicerit: nullam vrbem obsedit, quam non expugnauerit: nullam gentem adiit, quam non calcauerit. Victus denique ad postremum est, non virtute hostili, sed insidiis suorum, & fraude ciuili.

LIBER XIII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Luctus post Alexandri Magni excessum. Macedonum ingratitudo: Ducum ambitio, militumque auaritia.*
2. *De Alexandri successore. Ducum exercitus sententiae pugnantes.*

3. Per-

3. *Perdiccae sententiae reclamant pedites; vnde tumultus & seditio; cui Perdicca prudenter medetur.*
4. *Aridaeo Rege designato Perdicca & alii Duces, seu Principes prouincias diuidunt.*
5. *Bellum pro Graeciae libertate ab Athenienſibus & Aetolis reparatum. Demoſthenis pro patria labores: Antipatri obſidio & liberatio.*
6. *Perdicca Cappadoces praelio fatigat. Bellum inter Antigonum & Perdiccam. Ptolemaei ſollers induſtria.*
7. *De origine vrbis Cyrenes digreſſio.*
8. *Ptolemaeus bellum parat in Perdiccam. Eumenis res fortiter & feliciter geſtae.*

CAP. I.

Exſtincto in ipſo aetatis ac victoriarum flore Alexandro Magno, triſte apud omnes tota Babylone ſilentium fuit. Sed nec deuictae gentes fidem nuntio habuerunt, quod vt inuictum regem, ita immortalem eſſe crediderant: recordantes, quoties praeſenti morte ereptus eſſet: quam ſaepe pro amiſſo, repente ſe non ſoſpitem tantum ſuis, verum etiam victorem obtuliſſet. Vt vero mortis eius fides adfuit, omnes barbarae gentes paulo an-

te ab eo deuictae, non vt hostem, sed vt parentem luxerunt. Mater quoque Darii regis, quam amisso filio, a fastigio tantae maiestatis in captiuitatem redactam, indulgentia victoris, in eam diem vitae non poenituerat, audita morte Alexandri, mortem sibi ipsa consciuit; non quod hostem filio praeferret: sed quod pietatem filii in eo, quem vt hostem timuerat, experta esset. Contra Macedones versa vice, non vt ciuem, ac tantae maiestatis regem, verum vt hostem amissum, gaudebant: seueritatem nimiam, & assidua belli pericula execrantes. Huc accedebat, quod principes regnum & imperia, vulgus militum thesauros & grande pondus auri, velut inopinatam praedam, spectabant: illi successionem regni, hi opum ac diuitiarum hereditatem cogitantes. Erant enim in thesauris quinquaginta millia talentum, & in annuo vectigali tributo, tricena millia. Sed nec amici Alexandri frustra regnum spectabant, nam eius virtutis ac venerationis erant, vt singulos reges putares. Quippe ea formae pulchritudo, & proceritas corporis, & virium ac sapientiae magnitudo in omnibus fuit, vt qui eos ignoraret, non ex vna gente, sed ex toto terrarum orbe electos iudicaret. Neque enim vnquam ante Macedonia, vel vlla gens alia, tam clarorum virorum proventu floruit: quos primo Philippus, mox Alexander tanta cura legerat, vt non tam ad societatem belli, quam in successionem regni, electi viderentur.

tur. Quis igitur miretur, talibus ministris, orbem terrarum victum, cum exercitus Macedonum tot, non ducibus, sed regibus regeretur? qui nunquam sibi reperissent pares, si non inter se concurrissent: multosque Macedonia pro vno Alexandros habuisset, nisi fortuna eos aemulatione virtutis in perniciem mutuam armasset.

CAP. II. Caeterum occiso Alexandro, non vt laeti, ita & securi fuere, omnibus vnum locum competentibus: nec minus milites, quam inuicem se timebant, quorum & libertas solutior, & fauor incertus erat. Inter ipsos vero aequalitas discordiam augebat, nemine tantum ceteros excedente, vt ei aliquis se submitteret. Armati itaque in regiam coëunt, ad formandum rerum praesentium statum. Perdicca censet, Roxanes exspectari partum, quae exacto mense octauo, matura iam ex Alexandro erat; & si puerum peperisset, hunc dari successorem patri. Meleager negat, differenda in partus dubios consilia: nec exspectandum dum reges nascerentur, cum iam genitis vti liceret: seu puer illis placeat, esse Pergami filium Alexandri natum ex Barsine, nomine Herculem: seu mallent iuuenem, esse in castris fratrem Alexandri Aridaeum, comem & cunctis non suo tantum, verum & patris Philippi nomine acceptissimum. Ceterum Roxanen esse originis Persicae: nec esse fas, vt Macedonibus ex sanguine eorum, quorum regna deleuerint, reges constituantur: quod nec ipsum

Alexandrum voluisse dicit. Denique morientem nullam de eo mentionem habuisse. Ptolemaeus recusabat regem Aridaeum, non propter maternas modo sordes, quod ex Larissaeo scorto nasceretur: sed etiam propter valetudinem maiorem, quam patiebatur; ne ille nomen regis, alius imperium teneret: melius esse ex his legi, qui pro virtute regi suo proximi fuerint, qui prouincias regant, quibus bella mandentur, quam sub persona regis indignorum subiiciantur imperio. Vicit Perdiccae sententia consensu vniuersorum. Placuit itaque Roxanes exspectari partum; & si puer natus fuisset tutores Leonatum, Perdiccam, Crateron, & Antipatrum constituunt, confestimque in tutorum obsequia iurant.

CAP. III. Cum equites quoque idem fecissent, pedites indignati, nullas sibi consiliorum partes relictas, Aridaeum Alexandri fratrem regem appellant, satellitesque illi ex turba sua legunt, & nomine Philippi Patris vocari iubent. Quae cum nunciata equitibus essent, legatos ad mitigandos eorum animos, duos ex proceribus, Attalum & Meleagrum mittunt, qui potentiam ex vulgi adulatione quaerentes, omissa legatione, militibus consentiunt. Statim & seditio creuit, vbi caput & consilium habere cœpit. Tunc ad delendum equitatum cuncti armati in regiam irrumpunt: quo cognito, equites trepidi ab vrbe discedunt, castrisque positis, & ipsi pedites terrere cœperunt. Sed nec pro-

procerum inter se odia cessabant. Attalus ad interficiendum Perdiccam, ducem partis alterius, mittit: ad quem armatum, & vltro vocantem, cum accedere percussores ausi non fuissent; tanta constantia Perdiccae fuit, vt vltro ad pedites veniret, & in concionem vocatos edoceret, quod facinus molirentur: respicerent contra quos arma sumsissent: non illos Persas, sed Macedonas; non hostes, sed ciues esse; plerosque etiam cognatos eorum, certe commilitones, eorundem castrorum ac periculorum socios: edituros deinde egregium hostibus suis spectaculum, vt quorum armis victos se doleant, eorum mutuis caedibus gaudeant, parentaturosque sanguine suo manibus hostium à se interfectorum.

CAP. IV. Haec cum pro singulari facundia sua Perdicca peroraſſet, adeo mouit pedites, vt probato consilio eius, dux ab omnibus legeretur. Tum equites in concordiam reuocati, in Aridaeum regem consentiunt. Seruata est portio regni Alexandri filio, si natus esset. Haec agebant, posito in medio corpore Alexandri, vt maiestas eius testis decretorum esset. His ita compositis, Macedoniae & Graeciae Antipater præponitur: Regiae pecuniae custodia Cratero traditur: castrorum, exercitus, & rerum cura Meleagro, & Perdiccae assignatur: iubeturque Aridaeus Rex, corpus Alexandri in Hammonis templum deducere. Tunc Perdicca infensus seditionis auctoribus, repente

ignaro collega, lustrationem castrorum propter mortem regis in posterum edicit. Postquam armatum exercitum in campo constituit, consentientibus vniuersis, euocatos, dum transit, de singulis manipulis seditiosos, supplicio tradi occulte iubet. Reuersus inde, inter principes prouincias diuidit, simul vt & remoueret aemulos, & munus imperii, beneficii sui faceret. Primo, Ptolemaeo Aegyptus, & Africae Arabiaeque pars sorte venit, quem ex gregario milite Alexander virtutis causa prouexerat: cui ad tradendam prouinciam Cleomenes, qui Alexandriam aedificauerat, datur. Confinem huic prouinciae Syriam Laumedon Mitylenaeus, Ciliciam Philotas, Philo Illyrios accipiunt. Mediae maiori Acropatos, minori socer Perdiccae praeponitur. Susiana gens Scyno, Phrygia maior Antigono Philippi filio assignatur. Lyciam & Pamphyliam Nearchus, Cariam Cassander, Lydiam Menander sortiuntur. Leonato minor Phrygia euenit: Thracia & regiones Pontici maris Lysimacho: Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data. Summus castrorum tribunatus Seleuco Antiochi filio cessit. Stipatoribus regis satellitibusque Cassander filius Antipatri praeficitur. In Bactriana vlteriore, & Indiae regionibus, priores praefecti retenti. Terras inter amnes Hydaspem & Indum Taxiles habebat. In colonias in Indis conditas Pithon Agenoris filius mittitur. Parapammenos, fines Caucasi montis, Extarches accepit. Arachosii Gedrosique Sibyrtio traduntur: Drancae & Arei

Arei Statanori. Bactrianos Amyntas sortitur, Sogdianos Scythaeus, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanos, Phrataphernes Armenios, Ptolemus Persas, Peucestes Babylonios, Archos Pelasgos, Arcesilaus Mesopotamiam. Cum haec diuisio, veluti fatale munus singulis contigisset, ita magna incrementorum materia plurimis fuit, siquidem non magno post tempore, quasi regna, non praefecturas diuisissent, sic reges ex praefectis facti, magnas opes non sibi tantum parauerunt, verum etiam posteris reliquerunt.

CAP. V. Dum haec in Oriente aguntur, in Graecia Athenienses & Aetoli bellum, quod iam viuo Alexandro mouerant, summis viribus instruebant. Causae belli erant, quod reuersus ab India Alexander, Epistolas in Graeciam scripserat, quibus omnium ciuitatium exsules, praeter caedis damnati, restituebantur. Quae recitatae praesente vniuersa Graecia, in mercatu Olympiaco, magnos motus fecerunt; quod plurimi non legibus pulsi patria, sed per factionem principum fuerant, verentibus iisdem principibus, ne reuocati potentiores in republica fierent. Palam igitur iam tunc multae ciuitates, libertatem bello vindicandam fremebant. Principes tamen omnium Athenienses & Aetoli fuere. Quod cum nuntiatum Alexandro esset, mille naues longas sociis imperari praeceperat, quibus in Occidente bellum gereret; excursurusque cum valida manu fuerat ad Athenas delen-

das. Igitur Athenienſes, contracto XXX millium exercitu, & CC. nauibus, bellum cum Antipatro, cui Graecia ſorte euenerat, gerunt; eumque detrectantem praelium, & Heracleae vrbis moenibus tuentem ſe, obſidione cingunt. Eodem tempore, Demoſthenes Athenienſis orator, pulſus patria, ob crimen accepti ab Harpalo auri, qui crudelitatem Alexandri fugerat, quod ciuitatem in eiusdem Alexandri bellum impelleret, forte Megaris exſulabat: qui vt miſſum ab Athenienſibus Hyperidem legatum cognouit, qui Peloponnenſes in ſocietatem armorum ſollicitaret, ſequutus eum, Sicyona, Argos & Corinthum, ceterasque ciuitates, eloquentia ſua Athenienſibus iunxit. Ob quod factum, miſſa ab Athenienſibus obuiam naue, ab exſilio reuocatur. Interim in obſidione Antipatri, Leoſthenes dux Athenienſium, telo e muris in transeuntem iacto, occiditur. Quae res tantum animorum Antipatro dedit, vt etiam vallum reſcindere auderet. Auxilium deinde a Leonato per legatos petit: qui cum venire cum exercitu nuntiatus eſſet, obuii ei Athenienſes cum inſtructis copiis fuere, ibique equeſtri praelio, graui vulnere ictus exſtinguitur. Antipater, tametſi auxilia ſua videret victa, morte tamen Leonati laetatus eſt: quippe & aemulum ſublatum, & vires eius acceſſiſſe ſibi gratulabatur. Statim igitur exercitu eius recepto, cum par hoſtibus etiam praelio videretur, ſolutus obſidione, in Macedoniam con-

ces-

cessit. Graecorum quoque copiae, finibus Graeciae hoste pulso, in vrbes dilapsae.

CAP. VI. Interea Perdicca, bello Ariarathi regi Cappadocum illato, praelioque victor, nihil praemii praeter vulnera & pericula retulit. Quippe hostes ab acie in vrbem recepti, occisis coniugibus & liberis, domos quisque suas cum omnibus copiis incenderunt. Eodem congestis etiam seruitiis, & semet ipsos praecipitant, vt nihil hostis victor suarum rerum, praeter incendii spectaculo frueretur. Inde, vt viribus auctoritatem regiam acquireret, ad nuptias Cleopatrae sororis Alexandri Magni, & alterius Alexandri quondam vxoris, non aspernante Olympiade matre eius, intendit: sed prius Antipatrum, sub affinitatis obtentu, capere cupiebat. Itaque fingit se in matrimonium filiam eius petere, quo facilius ab eo supplementum tironum ex Macedonia obtineret. Quem dolum praesentiente Antipatro, dum duas eodem tempore vxores quaerit, neutram obtinuit. Post haec bellum inter Antigonum & Perdiccam oritur. Antigono Craterus & Antipater auxilium ferebant; qui facta cum Athenienſibus pace, Polyperchonta Graeciae & Macedoniae praeponunt. Perdicca, alienatis rebus, Aridaeum, & Alexandri Magni filium in Cappadocia, quorum cura illi mandata fuerat, de summa belli in consilium adhibet. Quibusdam placebat bellum in Macedoniam transferri, ad ipsum fontem & caput regni, vbi & Olympias

pias esset mater Alexandri, non mediocre momentum partium, & ciuium fauor, propter Alexandri Philippique nomina: sed in rem visum est ab Aegypto incipere, ne in Macedoniam profectis, Asia a Ptolemaeo occuparetur. Eumeni, praeter prouincias quas acceperat, Paphlagonia, & Caria, & Lycia, & Phrygia adiiciuntur. Ibi Craterum & Antipatrum operiri iubetur: adiutores ei dantur cum exercitibus frater Perdiccae Alcetas, & Neoptolemus: Chito cura classis traditur: Cilicia Philotae ademta, Philoxeno datur: ipse Perdicca Aegyptum cum ingenti exercitu petit. Sic Macedonia, in duas partes discurrentibus ducibus, in sua viscera armatur: ferrumque ab hostili bello in ciuilem sanguinem vertit, exemplo furentium, manus ac membra sua, ipsa caesura. Sed Ptolemaeus in Aegypto, sollerti industria, magnas opes parabat: quippe & Aegyptios insigni moderatione in fauorem sui sollicitauerat: & reges finitimos beneficiis obsequiisque deuinxerat: terminos quoque imperii, acquisita Cyrene vrbe, ampliauerat: factusque iam tantus erat, vt non tam timeret hostes, quam timendus ipse hostibus esset.

CAP. VII. Cyrene autem condita fuit ab Aristaeo, cui nomen Battos propter linguae obligationem fuit. Huius pater Cirnus, rex Theramenis insulae, cum ad oraculum Delphos, propter dedecus adolescentis filii nondum loquentis, deum deprecaturus venisset, responsum accepit, quo iube-

bebatur filius eius Battus Africam petere, & vrbem Cyrenen condere, vsum linguae ibi accepturus. Cum responsum ludibrio simile videretur, propter solitudinem Theramenis insulae, ex qua coloni ad vrbem condendam in Africam tam vastae regionis proficisci iubebantur, res omissa est. Interiecto deinde tempore, velut contumaces, pestilentia Deo parere compelluntur: quorum tam insignis paucitas fuit, vt vix vnam nauem complerent. Cum venissent in Africam, pulsis accolis, montem Cyran, & propter amoenitatem loci, & propter fontis vbertatem, occupauere. Ibi Battus dux eorum, linguae nodis solutis, loqui primum cœpit: quae res animos eorum, ex promissis Dei iam parte percepta, in reliquam spem condendae vrbis accendit. Positis igitur castris, opinionem veteris fabulae accipiunt. Cyrenen, eximiae pulcritudinis virginem, a Thessaliae monte Pelio ab Apolline raptam, perlatamque in eiusdem montis iuga, cuius collem occupauerant, a Deo repletam, quatuor pueros peperisse, Nomium, Aristaeum, Authocum, Argaeum: missos a patre * Speo, rege Thessaliae, qui perquirerent virginem, loci amoenitate captos in iisdem terris cum virgine resedisse. Ex his pueris tres adultos in Thessaliam reuersos, auita regna recepisse. Aristaeum in Arcadia late regnasse, eumque primum, & apium, & mellis vsum, & lactis ad coagula hominibus tradidisse, solstitialesque ortus sideris primum inuenisse. Quibus auditis, Bat-

* alii: Hypseo.

Battus virginis nomine ex responsis agnito, vrbem Cyrenen Condidit.

CAP. VIII. Igitur Ptolemaeus huius vrbis auctus viribus, bellum in aduentum Perdiccae parabat. Sed Perdiccae plus odium arrogantiae, quam vires hostium nocebant, quam exosi etiam socii, ad Antipatrum gregatim profugiebant. Neoptolemus quoque in auxilium Eumeni relictus, non solum transfugere, verum etiam prodere partium exercitum voluit. Quam rem cum praesensisset Eumenes, cum proditore decernere praelio necesse habuit. Victus Neoptolemus ad Antipatrum & Polyperchonta profugit, hisque persuadet, vt continuatis mansionibus, laeto ex victoria & securo fuga sua, Eumeni superueniant. Sed res Eumenem non latuit: Itaque insidiae in insidiatores versae: & qui securum aggressuros se putabant, securis in itinere, & peruigilio noctis fatigatis occursum est. In eo praelio Polyperchon occiditur. Neoptolemus quoque cum Eumene congressus, diu mutuis vulneribus acceptis colluctatus est; in summa victus, occumbit. Victor igitur duobus praeliis continuis Eumenes, afflictas partes transitione sociorum paululum sustentauit. Ad postremum tamen Perdicca occisus, ab exercitu hostis cum Phytone, & Illyrio, & Alceta fratre Perdiccae appellatur: bellumque aduersus eos Antigono decernitur.

LIBER

LIBER XIV.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Eumenis in bello aduersus Antigonum prudentia & fortitudo.*
2. *Praelio victus obsidetur, liberatur, ad Argyraspidas confugit, eosque ad suas partes pertrahit.*
3. *Dum Argyraspidae Eumenis imperia contemnunt, hostium virtute superantur. Vnde in Eumenem coniuratio.*
4. *Eumenis Captiui ad Argyraspidas oratio, qua petit, vt sibi inter eos mori liceat. Petitione frustratus proditorum capita deuouet, & Antigono vinctus traditur.*
5. *Cassander Aridaei vices gerens Graeciae ciuitates opprimit, & in Macedoniam aduersus Olympiadem proficiscitur.*
6. *Olympias fugit: obsidetur, victori Cassandro se tradit; cuius iussu interficitur.*

CAP. I.

Eumenes, vt Perdiccam occisum, se hostem a Macedonibus iudicatum, bellumque Antigono decretum cognouit; vltro ea militibus suis in-

di-

dicauit, ne fama aut rem in maius extolleret, aut militum animos rerum nouitate terreret; simul, vt circa se animati essent, cognosceret, sumturus consilium ex motu vniuersorum. Constanter tamen praefatus est, si cui haec terrori essent, habere eum discedendi potestatem. Qua voce adeo cunctos in studium partium suarum induxit, vt vltro illum omnes hortarentur, rescissurosque se ferro decreta Macedonum affirmarent. Tunc exercitu in Aetoliam promoto, pecunias ciuitatibus imperat; recusantes dare, hostiliter diripit. Inde Sardis profectus est ad Cleopatram, sororem Alexandri Magni, vt eius voce centuriones principesque confirmarentur, existimaturos ibi maiestatem regiam verti, vnde soror Alexandri staret. Tanta veneratio magnitudinis Alexandri erat, vt etiam per vestigia mulierum, fauor secrati eius nominis quaereretur. Cum reuersus in castra esset, epistolae totis castris abiectae inueniuntur: quibus iis, qui Eumenis caput ad Antigonum detulissent, magna praemia deniebantur. His cognitis, Eumenes vocatis ad concionem militibus, primo gratias agit, quod nemo inuentus esset, qui spem cruenti praemii fidei sacramento anteponeret: deinde callide subnectit, confectas has a se epistolas ad experiundos suorum animos esse. Caeterum salutem suam in omnium potestate esse; nec Antigonum, nec quemquam ducum sic velle vincere, vt ipse in se exemplum pessimum statuat. Hoc facto, & in praesenti labantium animos *deter-

*alii legunt: retinuit.

ruit;

ruit; & in futurum prouidit, vt si quid simile accidisset, non se ab hoste corrumpi, sed ab duce tentari arbitrarentur. Omnes igitur operam suam certatim ad custodiam salutis eius offerunt.

CAP. II. Cum interim Antigonus cum exercitu superuenit, castrisque positis, postera die in aciem procedit. Nec Eumenes moram praelio fecit: qui victus, in munitum quoddam castellum confugit: vbi cum videret se fortunam obsidionis subiturum, maiorem exercitus partem dimisit, ne aut consensu multitudinis hosti traderetur, aut obsidio ipsa multitudine grauaretur. Legatos deinde ad Antipatrum, quod solus par Antigoni viribus videbatur, supplices mittit: a quo cum auxilia Eumeni missa Antigonus didicisset, ab obsidione recessit. Erat quidem solutus ad tempus metu mortis Eumenes: sed nec salutis, dimisso exercitu, magna spes erat. Omnia igitur circumspicienti, optimum visum est, ad Alexandri Magni Argyraspidas, inuictum exercitum, & tot victoriarum praefulgentem gloria, decurrere. Sed Argyraspides post Alexandrum omnes duces fastidiebant, sordidam militiam sub aliis, post tanti regis memoriam, existimantes. Itaque Eumenes blandimentis agere; suppliciter singulos alloqui, nunc commilitones suos, nunc patronos appellans, periculorum Orientalium socios: nunc refugia salutis suae, & vnica praesidia commemorans: solos esse quorum virtute Oriens sit domitus, solos qui militiam

Li-

Liberi patris, qui Herculis monumenta superarint: per hos Alexandrum magnum factum, per hos, diuinos honores, & immortalem gloriam consequutum: orat vt non tam ducem se, quam commilitonem recipiant, vnumque ex corpore suo esse velint. Receptus hac lege, paulatim imperium, primum monendo singulos, mox quae perperam facta erant, blande corrigendo, vsurpat: nihil in castris sine illo agi, nihil administrari sine sollertia illius poterat.

CAP. III. Ad postremum cum Antigonum venire cum exercitu nuntiatum esset, compellit eos in aciem descendere. Ibi dum ducis imperia contemnunt, hostium virtute superantur. In eo praelio non gloriam tantum tot bellorum, cum coniugibus & liberis, sed & praemia longa militia parta, perdiderunt. Sed Eumenes, qui auctor cladis erat, nec aliam spem salutis reliquam habebat, victos hortabatur: Nam & virtute eos superiores fuisse affirmabat: quippe ab his quinque millia hostium caesa: & si in bello perstent, vltro hostes pacem petituros. Damna, quibus se victos putent, duo millia mulierum, & paucos infantes, & seruitia esse, quae melius vincendo possint reparare, quam deserendo victoriam. Porro Argyraspides neque fugam se tentaturos dicunt, post damna matrimoniorum, & post coniuges amissas, neque bellum gesturos contra liberos suos; vtroque eum conuiciis agitant, quod se post tot annos emeritorum

rum stipendiorum, redeuntes domum cum praemiis tot bellorum, ab ipsa missione rursus in novam militiam, immensaque bella reuocauerit, & a laribus iam quodammodo suis, & ab ipso limine patriae abductos, inanibus promissis deceperit: nunc quoque amissis omnibus felicis militiae quaestibus, ne victos quidem in misera & inopi senecta quiescere sinat. Ignaris deinde ducibus, confestim ad Antigonum legatos mittunt, petentes vt sua reddi iubeat. Is redditurum se pollicetur, si Eumenem sibi tradant. Quibus cognitis, Eumenes cum pancis fugere tentauit: sed retractus, desperatis rebus, cum concursus multitudinis factus esset, petit vt postremum sibi alloqui exercitum liceret.

CAP. IV. Iussus ab vniuersis dicere, facto silentio, laxatisque vinculis, prolatam, sicut erat catenatus, manum ostendit: Cernitis, milites, inquit, habitum atque ornamenta ducis vestri, quae mihi non hostium quisquam imposuit: nam hoc etiam solatio foret. Vos me ex victore victum, vos me ex imperatore captivum fecistis, quater intra hunc annum in mea verba iureiurando obstricti estis. Sed ista omitto. Neque enim miseros conuicia decent. Vnum oro, propositorum Antigoni in meo capite summa consistit, inter vos me velitis mori. Nam neque illius interest, quemadmodum aut vbi cadam; & ego fuero ignominia mortis liberatus. Hoc si impetro, sol-

soluo vos iureiurando, quo toties vos sacramento mihi deuouistis. Aut si ipsos pudet roganti vim adhibere, ferrum huc date; & permittite quod vos facturos pro imperatore iurastis, imperatorem pro vobis sine religione iurisiurandi facere. Cum non obtineret, preces in iram vertit. At vos, ait, devota capita, respiciant dii periuriorum vindices; talesque vobis exitus dent, quales vos ducibus vestris dedistis. Nempe vos iidem paulo ante & Perdiccae sanguine estis aspersi, & in Antipatrum eadem moliti. Ipsum denique Alexandrum, si fas fuisset eum mortali manu cadere, interemturi, quod maximum erat, seditionibus agitastis. Vltima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico; vt inopes extorresque omne aeuum in hoc castrensi exsilio agatis, deuorentque vos arma vestra, quibus plures vestros, quam hostium duces absumsistis. Plenus deinde irae, custodes suos praecedere ad Antigoni castra coepit. Sequitur exercitus, prodito imperatore suo, & ipse captiuus, triumphumque de se ipso ad victoris sui castra ducit; omnia auspicia regis Alexandri, & tot bellorum palmas laureasque vna secum victori tradentes: & ne quid deesset pompae, elephanti quoque, & auxilia Orientalia subsequuntur. Tanto pulcrior haec Antigono, quam Alexandro tot victoriae fuerunt; vt cum ille Orientem vicerit, hic etiam eos, a quibus Oriens victus fuerat, superauerit. Igitur Antigonus domitores illos orbis, exercitui suo diuidit, redditis eorum

quae

quae in victoria ceperat. Eumenem vero, verecundia prioris amicitiae, in conspectum suum venire prohibitum, assignari custodibus praecepit.

CAP. V. Interea Eurydice, vxor Aridaei regis, vt Polyperchonta a Graecia redire in Macedoniam cognouit, & ab eo arcessitam Olympiadem; muliebri aemulatione perculsa, abutens valetudine viri, cuius officia sibi vindicabat, scribit regis nomine Polyperchonti, Cassandro exercitum tradat, in quem regni administrationem rex transtulerit: eadem in Asiam Antigono per epistolas nuntiat. Quo beneficio deuinctus Cassander nihil non ex arbitrio muliebris audaciae gerit. Deinde profectus in Graeciam, multis ciuitatibus bellum infert: quarum excidio, veluti vicino incendio territi Spartani, vrbem quam semper armis, non muris defenderant, tum contra responsa fatorum & veterem maiorum gloriam, armis diffisi, murorum praesidio includunt. Tantum eos degenerauisse à maioribus, ut, cum multis saeculis murus vrbi ciuium virtus fuerit, tunc ciues saluos se fore non existimauerint, nisi intra muros laterent. Dum haec aguntur, Cassandrum a Graecia turbatus Macedoniae status domum reuocauit. Namque Olympias mater Alexandri Magni regis, cum Epiro in Macedoniam, prosequente Aeacide rege Molossorum, veniret, prohibereque finibus ab Eurydice & Aridaeo rege coepisset; seu memoria mariti, seu magnitudine filii, & indignitate rei, moti

Macedones, ad Olympiadem transiere: cuius iussu & Eurydice, & rex occiditur, sex annis post Alexandrum potitus regno.

CAP. VI. Sed nec Olympias diu regnauit. Nam cum principum passim caedes, muliebri magis, quam regio more seciſſet, fauorem sui in odium vertit. Itaque audito Cassandri aduentu, diffisa Macedonibus, cum nuru Roxane, & nepote Hercule, in Pydnam vrbem concedit. Proficiscenti Deidamia Aeacidae regis filia, & Thessalonice privigna, & ipsa clara Philippi patris nomine, multaeque aliae principum matronae, specioſus magis quam vtilis grex, comites fuere. Haec cum nuntiata Cassandro essent, statim citato cursu Pydnam venit, & vrbem obsidione cingit. Cum fame, ferroque vrgeretur Olympias, longae obsidionis taedio, pacta salute, victori se tradidit. Sed Cassander ad concionem vocato populo, sciscitaturus quid de Olympiade fieri velint, subornat parentes interfectorum, qui sumta lugubri veste, crudelitatem mulieris accusarent; a quibus accensi Macedones, sine respectu priſtinae maiestatis, occidendam decernunt: immemores prorsus, quod per filium eius, virumque, non solum vitam ipsi inter finitimos tutam habuissent: verum etiam tantas opes imperiumque orbis quaesiſſent. Sed Olympias vbi obstinatos venire ad se armatos vidit, veste regali, duabus ancillis innixa, vltro obuiam procedit. Qua visa, percussores attoniti fortuna maie-

sta-

statis prioris, & tot in ea memoriae occurrentibus regum suorum nominibus, substiterunt; donec a Cassandro missi sunt, qui eam confoderent, non refugientem gladium, nec vulnera, aut muliebriter vociferantem; sed virorum more fortium, pro gloria veteris prosapiae, morti succumbentem, vt Alexandrum posses etiam in moriente matre cognoscere. Insuper exspirans, capillis & veste crura contexisse fertur, ne quid posset in corpore eius indecorum videri. Post haec Cassander Thessalonicen, regis Aridaei filiam, vxorem ducit: filium Alexandri cum matre, in arcem Amphipolitanam custodiendos mittit.

LIBER XV.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Antigoni bellum aduersus socios, in quo Demetrius F. superatus praelio.*
2. *Cassandri in familiam Alexandri Magni saeuitia, Antigoni prosperi successus in bello.*
3. *Lysimachi Antigono oppositi virtutes & praeclare gesta.*

4. *Nouus hostis Antigono accedit, nempe Seleucus, cuius origo, & res gestae subiiciuntur. Antigonus in praelio occumbit.*

CAP. I.

Perdicca, & fratre eius, Eumene, ac Polyperchonte, ceterisque ducibus diuersae partis occisis, finitum certamen inter successores Alexandri Magni videbatur; cum repente inter ipsos victores nata discordia est: quippe postulantibus Ptolemaeo, & Cassandro, & Lysimacho, vt pecunia in praeda capta, prouinciaeque diuiderentur; Antigonus negauit se in eius belli praemia socios admissurum, in cuius periculum solus descenderit. Et vt honestum aduersus socios bellum susciperet videretur, diuulgat, se Olympiadis mortem, a Cassandro interfectae, vlciscivelle, & Alexandri regis sui filium cum matre obsidione Amphipolitana liberare. His cognitis, Ptolemaeus & Cassander, inita cum Lysimacho & Seleuco Societate, bellum terra marique enixe instruunt. Tenebat Ptolemaeus Aegyptum cum Africae parte maiore, & Cypro, & Phoenice. Cassandro parebat Macedonia cum Graecia. Asiam & partes Orientis occupauerat Antigonus, cuius filius Demetrius, prima belli congressione, a Ptolemaeo apud Galamam vincitur. In quo praelio maior Ptolemaei moderationis gloria, quam ipsius victoriae fuit. Siquidem & amicos Demetrii non solum cum suis rebus, verum

rum etiam additis insuper muneribus, dimisit; & ipsius Demetrii priuatum omne instrumentum, ac familiam reddidit, adiecto honore verborum; Non se propter praedam; sed propter dignitatem iniisse bellum; indignatum, quod Antigonus, deuictis diuersae factionis ducibus, solus communis victoriae praemia corripuisset.

CAP. II. Dum haec aguntur, Cassander ab Apollonia rediens, incidit in Abderitas, qui propter ranarum muriumque multitudinem relicto patriae solo, sedes quaerebant: veritus ne Macedoniam occuparent, facta pactione in societatem eos recepit; agrosque iis vltimos Macedoniae assignat. Deinde, ne Hercules Alexandri filius, qui fere annos quatuordecim excesserat, fauore paterni nominis in regnum Macedoniae vocaretur, occidi eum tacite cum matre Barsine iubet, corporaque eorum terra obrui, ne caedes sepultura proderetur: & quasi parum facinoris in ipso primum rege, mox in matre eius Olympiade ac filio admisisset; alterum quoque filium cum matre Roxane, pari fraude interficit, scilicet quasi regnum Macedoniae, quod affectabat, aliter consequi, quam scelere, non posset. Interea Ptolemaeus cum Demetrio, nauali praelio iterato, congreditur; & amissa classe, hostique concessa victoria, in Aegyptum refugit. Demetrius filium Ptolemaei Leontiscum, & fratrem Menelaum amicosque eius cum priuati instrumenti ministerio, pari prouocatus antea mu-

nere, Aegyptum remittit: & vt appareret, eos non odio, sed dignitatis gloria accensos, donis muneribusque inter ipsa bella contendebant. Tanto honestius tunc bella gerebantur, quam nunc amicitiae coluntur. Hac victoria elatus Antigonus, regem se cum Demetrio filio appellari a populo iubet. Ptolemaeus quoque, ne minoris apud suos auctoritatis haberetur, rex ab exercitu cognominatur. Quibus auditis, Cassander & Lysimachus, & ipsi regiam sibi maiestatem vindicauerunt. Huius honoris ornamentis tamdiu omnes abstinuerunt, quamdiu filii regis sui superesse potuerunt. Tanta in illis verecundia fuit, vt cum opes regias haberent, regum tamen nominibus aequo animo caruerint, quoad Alexandro iustus heres fuit. Sed Ptolemaeus & Cassander, ceterique factionis alterius duces, cum carpi se singulos ab Antigono viderent; dum priuatum singulorum, non commune vniuersorum bellum ducunt, nec auxilium ferre alter alteri volunt, quasi victoria vnius, non omnium foret, per epistolas se inuicem confirmantes, tempus, locum coëundi condicunt, bellumque communibus viribus instruunt. Cui cum Cassander interesse propter finitimum bellum non posset, Lysimachum cum ingentibus copiis in auxilium sociis mittit.

CAP. III. Erat hic Lysimachus illustri quidem Macedoniae loco natus, sed virtutis experimentis omni nobilitate clarior: quae tanta in illo fuit,

fuit, vt animi magnitudine, philosophia ipsa, viriumque gloria omnes, per quos Oriens domitus est, vicerit. Quippe cum Alexander Magnus Callisthenem philosophum, propter salutationis Persicae interpellatum morem, insidiarum, quae sibi paratae fuerant, conscium fuisse iratus finxisset; eumque truncatis crudeliter omnibus membris, abscisisque auribus, ac naso, labiisque, deforme ac miserandum spectaculum reddidisset; insuper cum cane in cauea clausum, ad metum caeterorum, circumferret: tunc Lysimachus audire Callisthenem, & praecepta ab eo virtutis accipere solitus, misertus tanti viri, non culpae, sed libertatis poenas pendentis, venenum ei in remedium calamitatum dedit. Quod adeo aegre Alexander tulit, vt eum obiici ferocissimo leoni iuberet. Sed cum ad conspectum eius concitatus leo impetum fecisset, manum amiculo inuolutam Lysimachus in os leonis immersit, arreptaque lingua, feram exanimauit. Quod cum nunciatum regi esset, admiratio in satisfactionem cessit; carioremque eum propter constantiam tantae virtutis habuit. Lysimachus quoque magno animo, Regis, veluti parentis, contumeliam tulit. Denique omni ex animo huius facti memoria exturbata, postea in India insectanti regi quosdam palantes hostes, cum a satellitum turba, equi sui celeritate desertus esset, solus ei per immensas arenarum moles cursus comes fuit. Quod idem antea Philippus frater eius cum facere voluisset, inter manus regis exspirauerat. Sed Lysima-

chum desiliens equo Alexander, hastae cuspide ita in fronte vulnerauit, vt sanguis aliter cludi non posset, quam diadema sibi demtum rex, alligandi vulneris causa, capiti eius imponeret. Quod auspicium primum regalis maiestatis Lysimacho fuit. Sed & post mortem Alexandri, cum inter successores eius Prouinciae diuiderentur, ferocissimae gentes, quasi omnium fortissimo assignatae sunt: adeo etiam consensu vniuersorum palmam virtutis inter caeteros tulit.

CAP. IV. Priusquam bellum inter Ptolemaeum, sociosque eius, aduersus Antigonum committeretur, repente ex Asia maiore digressus Seleucus, nouus Antigono hostis accesserat. Huius quoque & virtus clara, & origo admirabilis fuit. Siquidem mater eius Laudice, cum nupta esset Antiocho, claro inter Philippi duces viro, visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse, grauidamque factam, munus concubitus, annulum a deo accepisse, in cuius gemma ancora sculpta esset: iussaque donum filio, quem peperisset, dare. Admirabilem fecit hunc visum & annulus, qui postera die, eiusdem sculpturae, in lecto inuentus est; & figura ancorae, quae in femore Seleuci nata cum ipso paruulo fuit. Quamobrem Laudice annulum Seleuco eunti cum Alexandro Magno ad Persicam militiam, edocto de origine sua, dedit. Vbi post mortem Alexandri, occupato regno Orientis, vrbem condidit, ibique gemi-

nae

nae originis memoriam consecrauit. Nam & vrbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocavit, & campos vicinos vrbi, Apollini dicauit. Originis eius argumentum etiam in posteris mansit: Siquidem filii nepotesque eius, ancoram in femore, veluti notam generis naturalem habuere. Multa in Oriente, post diuisionem inter socios regni Macedonici, bella gessit. Principio Babyloniam cepit: inde auctis ex victoria viribus, Bactrianos expugnauit. Transitum deinde in Indiam fecit, quae post mortem Alexandri, veluti ceruicibus iugo seruitutis excusso, praefectos eius occiderat. Auctor libertatis Sandrocottus fuerat: sed Titulum libertatis post victoriam in seruitutem verterat. Siquidem occupato regno, populum, quem ab externa dominatione vindicauerat, ipse seruitio premebat. Fuit hic quidem humili genere natus, sed ad regni potestatem maiestate numinis impulsus. Quippe cum procacitate sua Alexandrum regem offendisset, interfici a rege iussus, salutem pedum celeritate quaesierat: ex qua fatigatione, cum somno captus iaceret, leo ingentis formae ad dormientem accessit, sudoremque profluentem lingua ei detersit, expergefactumque blande reliquit. Hoc prodigio primum ad spem regni impulsus, contractis latronibus, Indos ad nouitatem regni sollicitauit. Molienti deinde bellum aduersus praefectos Alexandri, elephantus ferus infinitae magnitudinis vltro se obtulit, & veluti domita mansuetudine, eum tergo excepit; duxque

belli, & praeliator insignis fuit. Sic acquisito regno, Sandrocottus ea tempestate, qua Seleucus futurae magnitudinis fundamenta iaciebat, Indiam possidebat: cum quo facta pactione Seleucus, compositisque in Oriente rebus, in bellum Antigoni descendit. Adunatis igitur omnium sociorum copiis, praelium committitur: in eo Antigonus occiditur; Demetrius filius eius in fugam vertitur. Sed socii profligato hostili bello, denuo in semet ipsos arma verterunt: & cum de praeda non convenirent, iterum in duas factiones deducuntur. Seleucus Demetrio, Ptolemaeus Lysimacho iunguntur. Cassandro defuncto Philippus filius succedit. Sic, quasi ex integro, noua Macedoniae bella nascuntur.

LIBER XVI.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Antipater Cassandri filius sit parricida. Demetrius Alexandrum, Cassandri F. interficit, & Macedoniam vsurpat.*
2. *Demetrius praelio fusus fugatur. Antipater parricida foede perit. In Cassandri familiam numinis vindicta. Ptolemaei placidum fatum.*

3. *Bel-*

3. *Bellum Pyrrhi & Lysimachi. De Heracleae origine & statu, digressio.*
4. *Clearchi tyranni Heracliensis artes luculenter describuntur.*
5. *Quibus rationibus Clearchus tyrannidem firmauerit. Clearchus tandem a Chione & Leonide iuuenibus nobilissimis obtruncatur. Post Clearchi supplicium Heracleae conditio.*

CAP. I.

Post Cassandri regis, filiique eius Philippi continuas mortes, Thessalonice regina vxor Cassandri, non magno post tempore, ab Antipatro filio, cum vitam etiam per vbera materna deprecaretur, occiditur. Causa parricidii fuit, quod post mortem mariti, in diuisione inter fratres regni, propensior fuisse* pro Alexandro videbatur. Quod facinus in eo grauius omnibus visum est, quod nullum maternae fraudis vestigium fuit. Quanquam in parricidio, nulla iusta causa ad sceleris patrocinia praetexi potest. Ob haec igitur Alexander in vltionem maternae necis, gesturus cum fratre bellum, auxilium a Demetrio petit: nec Demetrius, spe inuadendi Macedonici regni, moram fecit. Cuius aduentum verens Lysimachus, persuadet genero suo Antipatro, vt malit cum fratre in gratiam reuerti; quam paternum hostem in Macedoniam admitti. Inchoatam igitur inter fratres reconci-

*alii omittunt pro

liationem cum praesensisset Demetrius, per insidias Alexandrum interfecit; occupatoque Macedoniae regno, caedem apud exercitum excusaturus, in concionem vocat. Ibi priorem se petitum * sub Alexandro allegat; nec feciſſe se, sed occupasse insidias. Regem autem se Macedoniae vel aetatis experimentis, vel causis iustiorem esse. Patrem enim suum & Philippo Regi, & Alexandro Magno socium in omni militia fuisse: liberorum deinde Alexandri ministrum, & ad persequendos defectores ducem exstitisse. Contra Antipatrum auum horum adolescentium, amariorem semper ministrum regni, quam ipsos reges fuisse. Cassandrum vero patrem exstinctorem regiae domus, non feminis, non pueris peperciſſe; nec cessasse, quoad omnem stirpem regiae sobolis deleret. Horum scelerum vltionem, quia nequisset ab ipso Cassandro exigere, ad liberos eius translatam. Quamobrem etiam Philippum, Alexandrumque, si quis manium sensus est, non interfectores suos, ac stirpis suae, sed vltores eorum Macedoniae regnum tenere malle. Per haec mitigato populo, Rex Macedoniae appellatur. Lysimachus quoque, cum bello Doricetis regis Thracum premeretur, ne eodem tempore & aduersus eum dimicare necesse haberet, tradita ei altera parte Macedoniae, quae Antipatro eius genero obtenerat, pacem cum eo fecit.

* alii codices: ab.

CAP.

CAP. II. Igitur Demetrius, totis Macedoniae regni viribus instructus, cum Asiam occupare statuisset, iterato Ptolemaeus, Seleucus, & Lysimachus, experti priore certamine, quantae vires essent concordiae, pacta societate adunatisque exercitibus, bellum aduersus Demetrium transferunt in Europam. His comitem se, & belli socium iungit Pyrrhus rex Epiri, sperans, non difficilius Demetrium amittere Macedoniam posse, quam acquisierat. Nec spes frustra fuit: quippe exercitu eius corrupto, ipsoque in fugam acto, regnum Macedoniae occupauit. Dum haec aguntur, Lysimachus generum suum Antipatrum, regnum Macedoniae ademtum sibi soceri fraude querentem, interficit; filiamque suam Eurydicen querelarum sociam in custodiam tradit: atque ita vniuersa Cassandri domus Alexandro Magno, seu necis ipsius, seu stirpis exstinctae poenas partim caede, partim supplicio, partim parricidio luit. Demetrius quoque a tot exercitibus circumuentus, cum posset honeste mori, turpiter se dedere Seleuco maluit. Finito bello, Ptolemaeus cum magna rerum gestarum gloria moriturus, contra ius gentium, minimo natu ex filiis, ante infirmitatem regnum tradiderat, eiusque rei populo rationem reddiderat: cuius non minor fauor in accipiendo, quam patris in tradendo regno fuerat. Inter cetera patris & filii mutuae pietatis exempla, etiam ea res amorem populi iuueni conciliauerat, quod pater regno ei publice tradito, priuatus offi-

cium regi inter satellites fecerat, omnique regno pulcrius regis esse patrem duxerat.

CAP. III. Sed inter Lysimachum, & Pyrrhum regem, socios paulo ante aduersus Demetrium, assiduum inter pares discordiae malum bellum moverat. Victor Lysimachus, pulso Pyrrho Macedoniam occupauerat. Inde Thraciae, ac deinceps Heracleae bellum intulerat: cuius vrbis & initia & exitus admirabiles fuere; quippe Boeotiis pestilentia laborantibus, oraculum Delphis responderat, coloniam in Ponti regione sacram Herculi conderent. Cum propter metum longae ac periculosae nauigationis, mortem in patria omnibus praeoptantibus, res omissa esset, bellum his Phocenses intulerunt: quorum cum aduersa praelia paterentur, iterato ad oraculum decurrunt; responsum, idem belli, quod pestilentiae, remedium fore. Igitur conscripta colonorum manu, in Pontum delati, vrbem Heracleam condiderunt. Et quoniam fatorum auspiciis in eas sedes delati erant, breui tempore magnas opes parauere. Multa deinde huius vrbis aduersus finitimos bella, multae etiam domesticae dissensiones fuere. Inter cetera magnifica, vel praecipue illud memorabile fuit. Cum rerum potirentur Athenienses, victisque Persis, Graeciae & Asiae tributum in tutelam classis descripsissent, omnibus cupide ad praesidium salutis suae conferentibus; soli Heraclienses ob amicitiam regum Persicorum, collationem abnuerant. Missus itaque ab Athenien-

nienſibus Lamachus cum exercitu ad extorquendum quod negabatur, dum relictis in litore nauibus, agros Heraclienſium populatur, claſſem cum maiore parte exercitus, naufragio repentinae tempeſtatis amiſit. Itaque cum neque mari poſſet amiſſis nauibus, neque terra auderet, cum parua manu inter tot ferociſſimas gentes, reuerti; Heraclienſes honeſtiorem beneficii, quam vltionis occaſionem rati, inſtructos commeatibus, auxiliisque dimittunt: Bene agrorum ſuorum populationem impenſam exiſtimantes, ſi, quos hoſtes habuerant, amicos reddidiſſent.

CAP. IV. Paſſi ſunt inter plurima mala etiam tyrannidem: ſiquidem cum plebs etiam nouas tabulas, & diuiſionem agrorum diuitum impotenter flagitaret, diu re in ſenatu tractata, cum exitus rei non inueniretur; ad poſtremum aduerſus plebem nimio otio laſciuientem, auxilia a Timotheo Athenienſium duce, mox ab Epaminonda Thebanorum petiuere. Vtrisque negantibus, ad Clearchum, quem ipſi in exſilium egerant, decurrunt. Tanta calamitatium neceſſitas fuit, vt cui patriam interdixerant, eum ad tutelam patriae reuocarent. Sed Clearchus exilio facinoroſior redditus, & diſſenſionem populi occaſionem inuadendae tyrannidis exiſtimans, primo tacitus cum Mithridate ciuium ſuorum hoſte colloquitur, & inita ſocietate paciſcitur, vt reuocatus in patriam prodita ei vrbe, prae-

prafectus eius constitueretur. Postea autem insidias, quas ciuibus parauerat, in ipsum Mithridatem verterat. Namque cum velut arbiter ciuilis discordiae, de exsilio reuersus esset, statuto tempore, quo vrbem Mithridati traderet, ipsum cum amicis suis cepit; captumque, accepta ingenti pecunia dimisit. Atque vt in illo subitum se ex socio fecit hostem: sic ex defensore senatoriae causae, repente patronus plebis euasit; & aduersus auctores potentiae suae, a quibus reuocatus in patriam, per quos in arce collocatus fuerat, non solum plebem accendit, verum etiam nefandissima quaeque tyrannicae crudelitatis exercuit. Igitur populo ad concionem vocato, neque se adfuturum amplius grassanti in populum senatui, ait; intercessurum etiam, si in pristina saeuitia perseueret: quodsi pares se crudelitati senatorum arbitrarentur abiturum cum militibus suis, neque ciuilibus discordiis interfuturum. Sin vero diffidant viribus propriis, vindictae se ciuium non defuturum. Proinde consulant sibi ipsis: iubeant abire se, si malint, vel causae populari socium remanere. His verbis sollicitata plebs, summum ad eum imperium defert: & dum senatus potentiae irascitur, in seruitutem se tyrannicae dominationis cum coniugibus & liberis tradit. Igitur Clearchus LX senatores comprehensos (nam ceteri in fugam dilapsi erant) in vincula compingit. Laetari plebs, quod a duce potissimum senatorum, senatus deleretur, versaque vice, auxilium eorum in exitium conuersum esset.

Qui-

Quibus dum mortem passim omnibus minatur, cariora eorum pretia facit: siquidem Clearchus magna pecunia (quasi minis populi occulte eos subtracturus) accepta, spoliatos fortunis, vita quoque spoliauit.

CAP. V. Cognito deinde, quod bellum sibi ab iis qui profugerant, misericordia in auxilium sollicitatis ciuitatibus, pararetur, seruos eorum manumittit. Et ne quid mali afflictis honestissimis domibus deesset, vxores eorum, filiasque nubere seruis suis, proposita recusantibus morte, compellit; vt eos sibi fidiores, & dominis infestiores redderet. Sed matronis tam lugubres nuptiae, grauiores repentinis funeribus fuere. Itaque multae se ante nuptias, multae in ipsis nuptiis, occisis prius nouis maritis, interficiunt, & se tam funestis calamitatibus, virtute ingenui pudoris, eripiunt. Praelium deinde committitur: quo victor tyrannus captiuos senatores in triumphi modum per ora ciuium trahit. Reuersus in vrbem, alios vincit, torquet alios, alios occidit: nullus locus vrbis a crudelitate tyranni vacat. Accedit saeuitiae insolentia, crudelitati arrogantia: interdum enim ex successu continuae felicitatis obliuiscitur se hominem: interdum Iouis se filium dicit. Eunti per publicum, aurea aquila velut argumentum generis praeferebatur: veste purpurea, & cothurnis regum tragicorum, & aurea corona vtebatur: filium quoque suum Ceraunon vocat, vt deos

non

non mendacio tantum, verum etiam nominibus illudat. Haec illum facere duo nobilissimi iuuenes Chion & Leonides indignantes, patriam liberaturi in necem tyranni conspirant. Erant hi discipuli Platonis philosophi; qui virtutem, ad quam quotidie praeceptis magistri erudiebantur, patriae exhibere cupientes, quinquaginta cognatos, veluti clientes, in insidiis locant. Ipsi more iurgantium, ad tyrannum veluti ad regem in arcem contendunt; qui iure familiaritatis admissi, dum alterum priorem dicentem intentus audit tyrannus, ab altero obtruncatur. Sed & ipsi, sociis tardius auxilium ferentibus, a satellitibus obruuntur. Quare factum est, vt tyrannus quidem occideretur, sed patria non liberaretur. Nam frater Clearchi Satyrus eadem via tyrannidem inuadit; multisque annis, per gradus successionis, Heraclienses sub regno tyrannorum fuere.

LIBER XVII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Lysimachi Regis tragoedia,*
2. *Amissis XV liberis in praelio occumbit. Seleucus per insidias occiditur a Ptolemaeo. Ptolemaeus Principum amicitias, Pyrrhi praesertim, sibi conciliat.*

3. *De*

3. *De Epirotarum regno eiusdem origine ac regibus digressio. Pyrrhi varia fortuna.*

CAP. I.

Per idem ferme tempus in Hellesponti & Chersonesi regionibus terrae motus fuit: maxime tamen Lysimachia vrbs ante duos & viginti annos a Lysimacho rege condita, euersa est. Quod portentum dira Lysimacho, stirpique eius, ac regni ruinam, cum clade vexatarum regionum portendebat. Nec ostentis fides defuit: nam breui post tempore, Agathoclem filium suum, quem in successionem regni ordinauerat, per quem multa bella prospere gesserat, non solum patrium, verum etiam humanum vltra morem, perosus, ministra Arsinoë nouerca, veneno interfecit. Haec illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinae fuit. Nam parricidium, principum sequutae caedes sunt, luentium supplicia, quod occisum iuuenem dolebant. Itaque & hi, qui caedibus superfuerant, & hi, qui exercitibus praeerant, certatim ad Seleucum deficiunt; eumque pronum iam ex aemulatione gloriae, bellum Lysimacho inferre compellunt. Vltimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit, &, velut ad exemplum fortunae, par reservatum. Lysimachus quatuor & LXX annos natus erat. Seleucus septem & LXX. Sed in hac aetate vtrique animi iuueniles erant, imperiique cupiditatem insatiabilem gerebant. Quippe cum or-

orbem terrarum duo soli tenerent, angustiis sibimet inclusi videbantur, vitaeque finem non annorum spatio, sed imperii terminis metiebantur.

CAP. II. In eo bello Lysimachus amissis ante variis casibus XV liberis, non instrenue moriens, postremus domus suae ruinae cumulus accessit. Laetus tanta victoria Seleucus, & quod maius victoria putabat, solum se de cohorte Alexandri remansisse; victoremque victorum exstitisse, non humanum esse opus, sed diuinum munus, gloriatur: Ignarus prorsus, non multo post fragilitatis humanae se ipsum exemplum futurum. Quippe post menses admodum septem a Ptolemaeo, cuius sororem Lysimachus in matrimonio habuerat, per insidias circumuentus occiditur; regnumque Macedoniae, quod Lysimacho eripuerat, cum vita pariter amittit. Igitur Ptolemaeus cum & in gratiam memoriae magni Ptolemaei patris, & in fauorem vltionis Lysimachi ambitiosus apud populares esset, primo Lysimachi filios conciliare sibi statuit; nuptiasque Arsinoës sororis suae, matris eorum, petit, puerorum adoptione promissa vt cum in locum patris eorum successisset, nihil illi moliri vel verecundia matris, vel appellatione patris auderent. Fratris quoque regis Aegypti concordiam per epistolas deprecatur, professus deponere se offensam erepti paterni regni, neque amplius a fratre quaesiturum, quod honestius a paterno hoste perceperit. Omnique arte adulatur Eumeni, & Antigono,

no, Demetrii filiis, Antiocho filio Selenci, cum quibus bellum habiturus erat, ne tertius sibi hostis accederet. Sed nec Pyrrhus rex Epiri omissus, ingens momentum futurus, vtri parti socius accessisset; qui & ipse spoliare singulos cupiens, omnibus se partibus venditabat. Itaque Tarentinis aduersus Romanos laturus auxilium, ab Antigono naues, ad exercitum in Italiam deportandum, mutuo petit; ab Antiocho pecuniam, qui opibus quam militibus instructior erat; a Ptolemaeo Macedonum militum auxilia. Sed Ptolemaeus, cui nulla dilationis ex infirmitate virium venia esset, quinque millia peditum, equitum quatuor millia, elephantos quinquaginta, non amplius quam in biennii vsum dedit. Ob haec Pyrrhus, filia Ptolemaei in matrimonium accepta, vindicem eum regni reliquit: ne abducta in Italiam iuventute, praedam hostibus regnum relinqueret.

CAP. III. Sed quoniam ad Epiri mentionem ventum est, de origine regni eius pauca narranda sunt. Molossorum primum in ea regione regnum fuit. Post Pyrrhus Achillis filius, amisso per absentiam Troianis temporibus paterno regno, in his locis consedit, qui Pyrrhidae primo, postea Epirotae dicti sunt. Sed Pyrrhus cum in templum Dodonaei Iouis ad consulendum venisset, ibi Lanassam neptem Herculis rapuit: ex cuius matrimonio octo liberos sustulit. Ex his nonnullas virgines nuptum finitimis regibus tradidit, opesque affinitatium

tatium auxilio magnas parauit: atque ita Heleno filio Priami regis, ob industriam singularem, regnum Chaonum, & Andromachen Hectoris, quam & ipse matrimonio suo in diuisione Troianae praedae acceperat, vxorem tradidit: breuique post tempore, Delphis insidiis Orestae filii Agamemnonis, inter altaria dei interiit. Successor huic Pialis filius fuit. Per ordinem deinde, regnum ad Arrybam descendit: cui, quoniam pupillus & vnicus ex gente nobili superesset, intentiore omnium cura seruandi eius educandique, publice tutores constituuntur: Athenas quoque erudiendi gratia missus; quanto doctior maioribus suis, tanto & gratior populo fuit. Primus itaque leges, & senatum, annuosque magistratus, & reipubl. formam composuit: & vt a Pyrrho sedes, sic vita cultior populo ab Arryba statuta. Huius filius Neoptolemus fuit: ex quo nata est Olympias, mater Alexandri Magni, & Alexander, qui post eum regnum Epiri tenuit: & in Italia bello gesto, in Bruttiis interiit. Post eius mortem frater Aeacides regno successit, qui assiduis aduersus Macedonas bellorum certaminibus populum fatigando, offensam ciuium contraxit: ac propterea in exsilium actus, Pyrrhum filium *viuum, admodum paruulum in regno reliquit. Qui & ipse cum a populo propter odium patris ad necem quaereretur, furtim subtractus in Illyrios defertur: traditusque est Beroae, Glauci regis vxori, nutriendus, quae & ipsa generis Aeacidarum erat. Ibi cum, seu misericordia fortunae eius, seu

*alii bimum, in-

infantilibus blandimentis inductus rex, aduersum Cassandrum Macedoniae regem, qui eum sub belli comminatione deposcebat, diu protexit, addito in auxilium etiam adoptionis officio. Quibus rebus moti Epirotae, odio in misericordiam verso annorum XI eum in regnum reuocauerunt, datis tutoribus, qui regnum vsque adultam eius aetatem tuerentur. Adolescens deinde multa bella gessit; tantusque rerum successu haberi coeptus est, vt Tarentinos solus aduersus Romanos tueri posse videretur.

LIBER XIIX.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Pyrrho Tarentinis aduersus Romanos suppetias ferenti Valerius Laeuinus occurrit: unde praelia & strages.*
2. *Carthaginiensium auxilium Romani remittunt. Pax cum Pyrrho componitur. Romanorum continentia. Pyrrhus Siciliam occupat.*
3. *De Carthaginiensium origine & veteribus incolis digressio, in qua etiam de Sidonis & Tyri conditoribus.*

4. No-

4. *Nouae incolae Tyri, inter quos Eliſſa, quae a Pygmalione fratre recedit, vt rebus ſuis conſuleret.*
5. *Eliſſa agnomine Dido, Cyprum appellit, deinde in ſinum Africae defertur & Carthaginem condit.*
6. *Eliſſa propter Iarbae votum ſibi vim infert. Carthaginienſium crudelis ſuperſtitio.*
7. *Clades Carthaginienſium in Sardinia. Superſtites in exſilium pulſi, patriam armis recuperare nituntur: vnde Malei Patris in Cartalonem filium ſeueritas: & paulo poſt eruentus interitus.*

CAP. I.

Igitur Pyrrhus Rex Epiri, cum iterata Tarentinorum legatione, additis Samnitium & Lucanorum precibus, & ipſis auxilio aduerſus Romanos indigentibus fatigaretur; non tam ſupplicum precibus, quam ſpe inuadendi Italiae imperii inductus, venturum ſe cum exercitu pollicetur. In quam rem inclinatum ſemel animum, praecipitem agere coeperant exempla maiorum: ne aut inferior patruo ſuo Alexandro videretur, quo defenſore iidem Tarentini aduerſus Bruttios vſi fuerant; aut minores animos Magno Alexandro habuiſſe, qui tam longa a domo militia Orientem ſubegit. Igitur relicto cuſtode regni filio Ptolemaeo, annos XV na-

natu, exercitum in portu Tarentino exponit, duobus paruulis filiis, Alexandro & Heleno, in solatio longinquae secum expeditionis adductis. Cuius audito aduentu, Consul Romanus Valerius Laeuinus, festinans, vt prius cum eo congrederetur, quam auxilia sociorum conuenirent, exercitum in aciem educit: Nec rex, tametsi numero militum inferior esset, certamini moram fecit. Sed Romanos vincentes iam inusitata antea elephantorum forma stupere primo, mox cedere praelio coëgit; victoresque iam noua Macedonum monstra repente vicerunt. Nec hostibus incruenta victoria fuit. Nam & ipse Pyrrhus grauiter vulneratus est; & magna pars militum eius caesa; maioremque gloriam eius victoriae, quam laetitiam habuit. Huius pugnae euentum multae ciuitates secutae, Pyrrho se tradunt. Inter caeteras etiam Locri, prodito praesidio Romano, ad Pyrrhum deficiunt. Ex ea praeda Pyrrhus CC captiuos milites Romam gratis remisit, vt cognita virtute eius, Romani cognoscerent etiam liberalitatem. Interiectis deinde diebus, cum sociorum exercitus superuenisset, iterato praelium cum Romanis facit, in quo par fortuna priori bello fuit.

CAP. II. Interea Mago, dux Carthaginiensium, in auxilium Romanorum cum CXX nauibus missus, senatum adiit, aegre tulisse Carthaginienses, affirmans, quod bellum in Italia a peregrino rege paterentur. Ob quam causam missum

se, vt, quoniam externo hoste oppugnarentur, externis auxiliis iuuarentur. Gratiae a senatu Carthaginiensibus actae, auxiliaque remissa. Sed Mago Punico ingenio, post paucos dies tacitus, quasi pacificator Carthaginiensium, Pyrrhum adit, speculaturus consilia eius de Sicilia, quo eum arcessiri fama erat. Nam Romanis eadem caussa mittendi auxilii Carthaginiensibus fuerat, vt Romano bello, ne in Siciliam transire posset Pyrrhus, in Italia detineretur. Dum haec aguntur, legatus a senatu Romano Fabricius Lucinus missus, pacem cum Pyrrho composuit. Ad quam confirmandam, Cyneas Romam cum ingentibus a Pyrrho donis missus, neminem, cuius domus muneribus pateret, inuenit. Huic continentiae Romanorum simile exemplum, iisdem ferme temporibus fuit. Nam missi a senatu in Aegyptum legati, cum ingentia sibi a Ptolemaeo rege missa munera spreuissent, interiectis diebus ad coenam inuitatis, aureae coronae missae sunt; quas illi honoris caussa receptas, postera die statuis regis imposuerunt. Igitur Cyneas cum turbatam cum Romanis pacem ab Appio Claudio renuntiasset, interrogatus a Pyrrho, qualis Roma esset, respondit, Regum vrbem sibi visam. Post haec legati Siculorum superueniunt, tradentes Pyrrho totius insulae imperium, quae assiduis Carthaginiensium bellis vexabatur. Itaque relicto Locris Alexandro filio, firmatisque sociorum ciuitatibus valido praesidio, in Siciliam exercitum traiecit.

CAP.

CAP. III. Et quoniam ad Carthaginiensium mentionem ventum est, de origine eorum pauca dicenda sunt, repetitis Tyriorum paulo altius rebus, quorum casus etiam dolendi fuerunt. Tyriorum gens condita a Phoenicibus fuit, qui terrae motu vexati, relicto patriae solo, Assyrium stagnum primo, mox mari proximum litus incoluerunt, condita ibi vrbe, quam a piscium vbertate, Sidona appellauerunt: nam piscem Phoenices Sidon vocant. Post multos deinde annos a rege Ascaloniorum expugnati, nauibus appulsi, Tyron vrbem ante annum Troianae cladis condiderunt: ibi Persarum bellis diu varieque fatigati, victores quidem fuere: sed attritis viribus, a seruis suis multitudine abundantibus, indigna supplicia perpessi sunt: qui conspiratione facta, omnem liberum populum, cum dominis interficiunt: atque ita potiti vrbe, lares dominorum occupant, rempubl. inuadunt, coniuges ducunt, & quod ipsi non erant, liberos procreant. Vnus ex tot millibus servorum fuit, qui miti ingenio, senis domini, parvulique filii eius fortuna moueretur; dominosque non truci feritate, sed piae misericordiae humanitate respiceret. Itaque cum velut occisos alienasset, seruisque de statu reipubl. deliberantibus placuisset regem ex suo corpore creari, eumque potissimum quasi acceptissimum diis, qui solem orientem primus vidisset, rem ad Stratonem (hoc enim ei nomen erat) dominum occulte latentem detulit. Ab eo formatus cum medio noctis omnes

in vnum campum processissent, ceteris in Orientem spectantibus, solus Occidentis regionem intuebatur. Id primum aliis videri furor, in Occidente solis ortum quaerere: vbi vero dies aduentare coepit, editissimisque culminibus vrbis oriens splendere; exspectantibus aliis, vt ipsum solem adspicerent, hic primus omnibus fulgorem solis in summo fastigio ciuitatis ostendit. Non seruilis ingenii ratio visa; requirentibusque auctorem, de domino confitetur. Tunc intellectum est: Quantum ingenua seruilibus ingenia praestarent; malitiaque seruos, non sapientia vincere. Igitur venia seni filioque data est; & velut numine quodam reseruatos arbitrantes, regem Stratonem creauerunt. Post cuius mortem regnum ad filium, ac deinde ad nepotes transiit. Celebre hoc seruorum facinus, metuendumque exemplum toto orbe terrarum fuit. Itaque Alexander Magnus, cum interiecto tempore in Oriente bellum gereret, velut vltor publicae securitatis, expugnata eorum vrbe, omnes, qui praelio superfuerant, ob memoriam veteris caedis crucibus affixit: genus tantum Stratonis inuiolatum seruauit, regnumque stirpi eius restituit, ingenuis & innoxiis incolis insulae attributis, vt, exstirpato seruili germine, genus vrbis ex integro conderetur.

CAP. IV. Hoc igitur modo Tyrii Alexandri auspiciis conditi, parsimonia & labore quaerendi cito conualuere. Ante cladem dominorum cum & opi-

opibus, & multitudine abundarent, missa in Africam iuuentute Vticam condidere: cum interim rex Tyro decedit, filio Pygmalione, & Elissa filia, insignis formae virgine, heredibus institutis. Sed populus Pygmalioni admodum puero regnum tradidit. Elissa quoque Acerbae auunculo suo, sacerdoti Herculis, qui honos secundus a rege erat, nubit. Huic magnae, sed dissimulatae opes erant: aurumque metu regis non tectis, sed terrae crediderat, quam rem etsi homines ignorabant, fama tamen loquebatur. Qua incensus Pygmalion oblitus iuris humani, auunculum suum, eundemque generum, sine respectu pietatis occidit. Elissa diu fratrem propter scelus auersata, ad postremum dissimulato odio, mitigatoque interim vultu fugam tacito molitur, assumtis quibusdam principibus in societatem, quibus par odium in regem esse, eandemque fugiendi cupiditatem arbitrabatur. Tunc fratrem dolo aggreditur, fingit se ad eum migrare velle, ne amplius ei mariti domus, cupidae obliuionis, grauem luctus imaginem renouet, nec vltra amara admonitio oculis eius occurrat. Non inuitus Pygmalion verba fororis audiuit, existimans cum ea & aurum Acerbae ad se venturum. Sed Elissa ministros migrationis a rege missos, nauibus cum omnibus opibus suis prima vespera imponit, prouectaque in altum, compellit eos onera arenae pro pecunia inuolucris inuoluta, in mare deiicere. Tunc deflens ipsa, lugubrique voce Acerbam ciet; orat, vt libens opes suas recipiat,

quas reliquerat; habeatque inferias, quas habuerit cauſſam mortis. Tunc ipſos miniſtros aggreditur: ſibi quidem ait optatam olim mortem: ſed illis acerbos cruciatus, & dira ſupplicia imminere, qui Acerbae opes, quarum ſpe parricidium rex fecerit, auaritiae tyranni ſubtraxerint. Hoc metu omnibus iniecto, comites fugae accepit. Iunguntur & ſenatorum in eam noctem praeparata agmina; atque ita ſacris Herculis, cuius ſacerdos Acerbas fuerat, repetitis, exſilio ſedes quaerunt.

CAP. V. Primus illis appulſus terrae, Cyprus inſula fuit: vbi ſacerdos Iouis, cum coniuge & liberis, deorum monitu, comitem ſe Eliſſae ſociumque praebuit, pactus ſibi poſterisque perpetuum honorem ſacerdotii. Conditio pro manifeſto omine accepta. Mos erat Cypriis, virgines ante nuptias ſtatutis diebus dotalem pecuniam quaeſituras, in quaeſtum ad litus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri ſoluturas. Harum igitur ex numero LXXX admodum virgines raptas, nauibus imponi Eliſſa iubet; vt & iuuentus matrimonia, & vrbs ſobolem habere poſſet. Dum haec aguntur, Pygmalion cognita ſororis fuga, cum impio bello fugientem perſequi pararet, aegre precibus matris, & deorum minis victus, quieuit: cui cum inſpirati vates canerent, non impune laturum, ſi incrementa vrbis toto orbe auſpicatiſſimae interpellaſſet, hoc modo ſpatium reſpirandi fugienti-

tibus datum. Itaque Eliſſa delata in Africae ſinum, incolas loci eius, aduentu peregrinorum, mutuarumque rerum commercio gaudentes, in amicitiam ſollicitat: deinde emto loco, qui corio bouis tegi poſſet, in quo feſſos longa nauigatione ſocios, quoad proficiſceretur, reficere poſſet; corium in tenuiſſimas partes ſecari iubet, atque ita maius loci ſpatium quam petierat, occupat: vnde poſtea ei loco Byrſae nomen fuit. Confluentibus deinde vicinis locorum, qui ſpe lucri multa hoſpitibus venalia inferebant; ſedesque ibi ſtatuentibus, ex frequentia hominum velut inſtar ciuitatis effectum eſt. Vticenſium quoque legati, dona vt conſanguineis attulerunt; hortatique ſunt, vrbem ibi conderent, vbi ſedes ſortiti eſſent. Sed & Afros detinendi aduenas amor cepit. Itaque conſentientibus omnibus, Carthago conditur, ſtatuto annuo vectigali pro ſolo vrbis. In primis fundamentis caput bubulum inuentum eſt: quod auſpicium quidem fructuoſae terrae, ſed laborioſae, perpetuoque ſeruae vrbis fuit: propter quod in alium locum vrbs translata. Ibi quoque equi caput repertum, bellicoſum potentemque populum futurum ſignificans, vrbi auſpicatam ſedem dedit. Tunc ad opinionem nouae vrbis concurrentibus gentibus, breui & populus, & ciuitas magna facta.

CAP. VI. Cum ſucceſſu rerum florentes Carthaginis opes eſſent, Rex Maxitanorum Hiarbas decem Poenorum principibus ad ſe arceſſitis, Eliſ-

sae nuptias sub belli denunciatione petit: quod legati reginae referre metuentes, Punico cum ea ingenio egerunt; nuntiantes, regem aliquem poscere, qui cultiores victus eum, Afrosque perdoceat; sed quem inueniri posse, qui ad Barbaros & ferarum more viuentes transire a consanguineis velit? Tunc a regina castigati, si pro salute patriae asperiorem vitam recusarent, cui etiam ipsa vita, si res exigat, debeatur: regis mandata aperuere, dicentes; Quae praecipiat aliis, ipsi facienda esse, si velit vrbi consultum esse. Hoc dolo capta, diu Acerbae viri nomine cum multis lacrymis & lamentatione flebili inuocato, ad postremum ituram se, quo suae vrbis fata vocarent, respondit. In hoc trium mensium sumto spatio, pyra in vltima parte vrbis exstructa, velut placatura viri manes, inferiasque ante nuptias missura, multas hostias caedit, & sumto gladio pyram conscendit; atque ita ad populum respiciens, ituram se ad virum, sicut praeceperant, dixit, vitamque gladio finiuit. Quamdiu Carthago inuicta fuit, pro dea culta est. Condita est vrbs haec LXXII annis ante quam Roma, cuius virtus sicut bello clara fuit, ita domi status variis discordiarum casibus agitatus est. Cum inter cetera mala, etiam peste laborarent, cruenta sacrorum religione, & scelere pro remedio vsi sunt. Quippe homines, vt victimas immolabant; & impuberes (quae aetas etiam hostium misericordiam prouocat) aris admouebant, pacem deorum sanguine

ne eorum expoſcentes, pro quorum vita dii rogari maxime ſolent.

CAP. VII. Itaque aduerſis tanto ſcelere numinibus, cum in Sicilia diu feliciter dimicaſſent, translato in Sardiniam bello, amiſſa maiore exercitus parte, graui praelio victi ſunt. Propter quod ducem ſuum Maleum, cuius auſpiciis & Siciliae partem domuerant, & aduerſus Afros magnas res geſſerant, cum parte exercitus, quae ſuperfuerat, exſulare iuſſerunt. Quam rem aegre ferentes milites, legatos Carthaginem mittunt, qui reditum primo, veniamque infelicis militiae petant; tum denuntient, quod precibus nequeant, armis ſe conſecuturos. Cum & preces & minae legatorum ſpretae eſſent, interiectis diebus, conſcenſis nauibus, armati ad vrbem veniunt: ibi deos hominesque teſtari, non ſe expugnatum, ſed reciperatum patriam venire; oſtenſurosque ciuibus ſuis, non virtutem ſibi priore bello, ſed fortunam defuiſſe: prohibitis commeatibus, obſeſſaque vrbe, in ſummam deſperationem Carthaginienſes adduxerunt. Interea Cartalo Malei exſulis ducis filius, cum praeter caſtra patris a Tyro, quo decimas Herculis ferre, ex praeda Sicilienſi, quam pater eius ceperat, a Carthaginienſibus miſſus fuerat, reuerteretur, arceſſitusque a patre eſſet, prius publicae ſe religionis officia exſecuturum quam priuatae pietatis, reſpondit. Quam rem etſi indigne ferret pater, non tamen vim afferre religioni auſus eſt. Interiectis deinde

diebus, Cartalo petito commeatu a populo, cum reuersus ad patrem esset; ornatusque purpura, & insulis sacerdotii, omnium se oculis ingereret, tunc in secretum abducto pater ait: Aususne es, nefandissimum caput, ista purpura & auro ornatus, in conspectum tot miserorum ciuium venire? & mœsta ac lugentia castra, circumfluentibus quietae felicitatis insignibus, velut exsultabundus intrare? Nusquamne te aliis iactare potuisti? Nullus locus aptior, quam sordes patris, & exsilii infelicis aerumnae fuerunt? Quid quod paulo ante vocatus, non dico patrem, ducem certe ciuium tuorum superbe spreuisti? Quid porro tu in purpura ista coronisque aliud, quam victoriarum mearum titulos geris? Quoniam igitur tu in patre nihil nisi exsulis nomen agnoscis; ego quoque imperatorem me magis, quam patrem iudicabo; statuamque in te exemplum, ne quis posthac infelicibus miseriis patris illudat. Atque ita eum cum ornatu suo, in altissimam crucem in conspectu vrbis suffigi iussit. Post paucos deinde dies Carthaginem capit: euocatoque populo ad concionem, exsilii iniuriam queritur: belli necessitatem excusat: contentumque victoria sua, punitis auctoribus miserorum ciuium, iniurioso exsilii omnibus se veniam dare dicit. Atque ita decem senatoribus interfectis, vrbem legibus suis reddidit. Nec multo post ipse affectati regni accusatus, duplicis & in filio & in patria parricidii poenas dedit. Huic Mago imperator

tor succeſſit, cuius induſtria, & opes Carthaginienſium, & imperii fines, & bellicae gloriae laudes creuerunt.

LIBER XIX.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Magoni Carthaginienſium Imperatori ſuccedunt Hasdrubal & Amilcar. Hasdrubal in Sardinia perit. Inde Siculum bellum & Perſarum legatio.*
2. *Horum filii & Carthaginienſis clades exercitus in Sicilia.*
3. *Imilco, Dux huius exercitus, Carthaginem reuerſus, ſpe omni abiecta mortem ſibi infert.*

CAP. I.

Mago Carthaginienſium imperator, cum primus omnium, ordinata diſciplina militari, imperium Poenorum condidiſſet, viresque ciuitatis non minus bellandi arte quam virtute firmaſſet, diem fungitur, relictis duobus filiis Hasdrubale & Hamilcare: qui per veſtigia paternae virtutis decurrentes, ſicuti generi, ita & magnitudini patris

ſucceſſerunt. His ducibus Sardiniae bellum illatum: aduerſus Afros quoque vectigal pro ſolo vrbis multorum annorum repetentes, dimicatum: ſed Afrorum ſicuti cauſa iuſtior, ita & fortuna ſuperior fuit; bellumque cum his ſolutione pecuniae, non armis finitum. In Sardinia quoque Haſdrubal grauiter vulneratus imperio Hamilcari fratri tradito interiit: cuius mortem, cum luctus ciuitatis, tum & dictaturae vndecim, & triumphi quatuor inſignem fecere: hoſtibus quoque creuere animi, veluti cum duce vires Poenorum cecidiſſent. Itaque Siciliae populis propter aſſiduas Carthaginienſium iniurias, ad Leonidam fratrem regis Spartanorum concurrentibus, graue bellum natum: in quo & diu, & varia victoria praeliatum fuit. Dum haec aguntur, legati a Dario Perſarum rege Carthaginem venerunt, afferentes edictum, quo Poeni humanas hoſtias immolare, & canina veſci prohibebantur; mortuorumque corpora cremare potius, quam terra obruere a rege iubebantur; petentes ſimul auxilia aduerſus Graeciam, cui illaturus bellum Darius erat. Sed Carthaginienſes auxilia negantes, propter aſſidua finitimorum bella, caeteris, ne per omnia contumaces viderentur, cupide paruere.

CAP. II. Interea Hamilcar bello Sicilienſi interficitur, relictis tribus filiis, Imilcone, Hannone, Giſcone. Haſdrubali quoque par numerus filiorum fuit, Annibal, & Haſdrubal, & Sappho.

Per

Per hos res Carthaginiensium ea tempestate gerebantur. Itaque & Mauris bellum illatum, & adversus Numidas pugnatum, & Afri compulsi stipendium vrbis conditae Carthaginiensibus remittere. Deinde cum familia tanta Imperatorum gravis liberae ciuitati esset, omniaque ipsi agerent simul & iudicarent, centum ex numero senatorum iudices deliguntur, qui reuersis a bello ducibus, rationem rerum gestarum exigerent, vt hoc metu ita in bello imperio cogitarent, vt domi iudicia legesque respicerent. In Sicilia in locum Hamilcaris, imperator Imilco succedit: qui cum nauali terrestrique bello secunda praelia fecisset, multasque ciuitates cepisset, repente pestilentis sideris vi exercitum amisit. Quae res cum nuntiata Carthagini esset, moesta ciuitas fuit; omnia vlulatibus non secus, ac si vrbs ipsacapta esset, personabant: clausae priuatae domus, clausa deorum templa, intermissa omnia sacra, omnia priuata officia damnata. Cuncti deinde ad portum congregantur, egredientesque paucos e nauibus, qui cladi superfuerant, de suis percontantur. Vt vero dubia antea spe, & suspenso metu, incerta orbitatis exspectatione casus suorum miseris eluxit, tunc toto litore plangentium gemitus, tunc infelicium matrum vlulatus, & flebiles querelae audiebantur.

CAP. III. Inter haec procedit inops e naui sua imperator, sordida seruilique tunica discinctus: ad cuius conspectum plangentium agmina

iunguntur. Ipse quoque manus ad caelum tendens, nunc sortem suam, nunc publicam fortunam deflet: nunc deos accusat, qui tanta belli decora, & tot ornamenta victoriarum, quae ipsi dederant, abstulerint: qui captis tot vrbibus, totiesque hostibus terrestri naualique praelio victis, exercitum victorem non bello, sed peste deleuerint. Deferre se tamen ciuibus suis non modica solatia, quod malis eorum hostes gaudere, non gloriari possent. Quippe cum neque eos, qui mortui sunt, a se occisos; neque eos, qui reuersi sunt, a se fugatos possint dicere. Praedam, quam relictis a se castris abstulerint, non esse talem, quam velut spolium victi hostis ostentent: sed quam possessione vacua, fortuitis dominorum mortibus, sicuti caduca occuparint. Quod ad hostes pertinet, victores se recessisse; quod ad pestem, victos. Nihil tamen se grauius ferre, quam quod inter fortissimos viros mori non potuerit, seruatusque sit non ad vitae iucunditatem, sed ad ludibrium calamitatis. Quanquam vbi miseras copiarum reliquias Carthaginem reduxerit, se quoque sequuturum commilitones suos, ostensurumque patriae, non ideo se in eam diem vixisse, quoniam velit viuere: sed ne hos, quibus nefanda lues pepercerat, inter hostium exercitus relictos, morte sua proderet. Tali vociferatione per vrbem ingressus, vt ad limina domus suae venit, prosecutam multitudinem velut postremo allo-

alloquio dimisit: obseratisque foribus, ac nemine ad se, ne filiis quidem admissis: mortem sibi consciuit.

LIBER XX.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Dionysius, Siciliae Tyrannus, Graeciae magnae incolas bello aggreditur.*
2. *Metapontinorum origo & fata.*
3. *Crotoniensium & Locrensium bella.*
4. *Pythagoras Philosophus Crotonienses ad frugalitatem reuocat.*
5. *Dionysius victis Locrensibus Crotonienses adoritur, quos relinquit ab Hannone retractus, & tandem suorum insidiis opprimitur.*

CAP. I.

Dionysius e Sicilia Carthaginiensibus pulsis, occupatoque totius insulae imperio, graue otium regno suo, periculosamque desidiam tanti exercitus ratus, copias in Italiam traiecit: simul vt militum vires continuo labore acuerentur, & regni

regni fines proferrentur. Prima militia aduersus Graecos, qui proxima Italici maris litora tenebant, fuit: quibus deuictis, finitimos quosque aggreditur, omnesque Graeci nominis Italiam possidentes, hostes sibi destinat: quae gentes non partem, sed vniuersam ferme Italiam ea tempestate occupauerant. Denique multae vrbes adhuc post tantam vetustatem vestigia Graeci moris ostentant. Namque Tuscorum populi, qui oram inferi maris possident, a Lydia venerunt: & Venetos, quos incolas superi maris videmus, capta & expugnata Troia, Antenore duce, misit: Adria quoque Illyrico mari proxima, quae & Adriatico mari nomen dedit, Graeca vrbs est: Arpos Diomedes exciso Ilio, naufragio in ea loca delatus, condidit. Sed & Pisae in Liguribus Graecos auctores habent: & in Tuscis, Tarquinii a Thessalis & Spinambris: Perusini quoque originem ab Achaeis ducunt. Quid Ceren vrbem dicam? Quid Latinos populos, qui ab Aenea conditi videntur? Iam Falisci, Nolani, Abellani, nonne Chalcidensium coloni sunt? Quid tractus omnis Campaniae? Quid Bruttii, Sabinique? Quid Samnites? Quid Tarentini? Quos Lacedaemone profectos, spuriosque vocatos accepimus? Thurinorum vrbem condidisse Philocteten ferunt, ibique adhuc monumentum eius visitur: & Herculis sagittae in Apollinis templo, quae fatum Troiae fuere.

CAP.

CAP. II. Metapontini quoque in templo Mineruae ferramenta, quibus Epeus, a quo conditi sunt, equum Troianum fabricauit, ostentant. Propter quod omnis illa pars Italiae, maior Graecia appellata est. Sed principio originum Metapontini cum Sybaritanis & Crotonienſibus pellere ceteros Graecos Italia statuerunt. Cum primum vrbem Sirim cepissent, in expugnatione eius quinquaginta iuuenes amplexos Mineruae simulacrum, sacerdotemque deae velatum ornamentis, inter ipsa altaria trucidauerunt. Ob haec cum peste & seditionibus vexarentur, priores Crotonienses Delphicum oraculum adierunt. Responsum his est, finem mali fore, si violatum Mineruae numen interfectorum manes placassent. Itaque cum statuas iuvenibus iustae magnitudinis, & inprimis Minervae fabricare coepissent, Metapontini cognito oraculo deorum, occupandam manium & deae pacem rati, iuuenibus modica & lapidea simulacra ponunt, & deam panificiis placant. Atque ita pestis vtrobique sedata est, cum alteri magnificentia, alteri velocitate certassent. Recuperata sanitate, non diu Crotonienses quieuere. Itaque indignantes, in oppugnatione Siris, auxilium contra se a Locrensibus latum, bellum his intulerunt. Quo metu territi Locrenses, ad Spartanos decurrunt: auxilium supplices deprecantur. Illi longinqua militia grauati, auxilium a Castore & Polluce petere eos iubent. Neque legati responsum sociae vrbis spreuerunt: profectique in proximum templum

plum, facto sacrificio, auxilium deorum implorant. Litatis hostiis, obtentoque, vt rebantur, quod petebant, haud secus laeti, quam si deos ipsos secum aduecturi essent: puluinaria iis in naui componunt, faustisque profecti ominibus, solatia suis pro auxiliis deportant.

CAP. III. His cognitis, Crotonienses & ipsi legatos ad oraculum Delphos mittunt, victoriae facultatem, bellique prosperos euentus deprecantes. Responsum; prius votis hostes, quam armis vincendos. Cum vouissent Apollini decimas praedae, Locrenses & voto hostium, & responso dei cognito, nonas vouerunt; tacitamque eam rem habuere, ne votis vincerentur. Itaque cum in aciem processissent, & Crotoniensium centum viginti millia armatorum constitissent, Locrenses paucitatem suam circumspicientes (nam sola quindecim millia militum habebant) omissa spe victoriae, in destinatam mortem conspirant, tantusque ardor ex desperatione singulos cepit, vt victores se putarent, si non inulti morerentur. Sed dum mori honeste quaerunt, feliciter vicerunt: Nec alia causa victoriae fuit, quam quod desperauerunt. Pugnantibus Locris, aquila ab acie nunquam recessit, eosque tam diu circumuolauit, quoad vincerent. In cornibus quoque duo iuuenes diuerso a ceteris armorum habitu, eximia magnitudine, & albis equis, & coccineis paludamentis, pugnare visi sunt, nec vltra apparuerunt, quam pugnatum est. Hanc admi-

mirationem auxit incredibilis famae velocitas. Nam eadem die, qua in Italia pugnatum est, & Corintho, & Athenis, & Lacedaemone nuntiata est victoria.

CAP. IV. Post haec Crotonienſibus nulla virtutis exercitatio, nulla armorum cura fuit. Oderant enim quae infeliter ſumſerant; mutaſſentque vitam luxuria, ni Pythagoras philoſophus fuiſſet. Hic Sami Demarato locuplete negotiatore natus, magnisque ſapientiae incrementis ornatus, Aegyptum primo, mox Babyloniam ad perdiſcendos ſiderum motus, originemque mundi ſpectandam profectus, ſummam ſcientiam conſequutus erat. Inde regreſſus, Cretam & Lacedaemona, ad cognoſcendas Minois & Lycurgi inclytas ea tempeſtate leges, contenderat. Quibus omnibus inſtructus, Crotonam venit, populumque in luxuriam lapſum, auctoritate ſua ad vſum frugalitatis reuocauit. Laudabat quotidie virtutem, & vitia luxuriae, caſusque ciuitatium ea peſte perditarum enumerabat; tantumque ſtudium ad frugalitatem multitudinis prouocauit, vt aliquos ex his luxuriatos incredibile videretur. Matronarum quoque ſeparatam a viris doctrinam, & puerorum a parentibus frequenter habuit. Docebat nunc has pudicitiam, & obſequia in viros; nunc illos modeſtiam, & litterarum ſtudium. Inter haec velut genitricem virtutum frugalitatem omnibus ingerebat, conſecutusque diſputationum aſſiduitate erat, vt matronae au-

auratas vestes, ceteraque dignitatis suae ornamenta velut instrumenta luxuriae deponerent, eaque omnia delata in Iunonis aedem ipsi deae consecrarent, prae se ferentes, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse. In iuuentute quoque quantum profligatum sit, victi feminarum contumaces animi manifestant. Sed CCC ex iuvenibus cum sodalitii iure sacramento quodam nexi, separatam a ceteris ciuibus vitam exercerent, quasi coetum clandestinae coniurationis haberent, ciuitatem in se conuerterunt, quae eos, cum in vnam domum conuenissent, cremare voluit. In quo tumultu [illegible] ferme periere: ceteri in exsilium profecti. Pythagoras autem cum annos XX Crotonae egisset, Metapontum migrauit, ibique decessit: cuius tanta admiratio fuit, vt ex domo eius templum facerent; eumque pro deo colerent.

CAP. V. Igitur Dionysius tyrannus, quem supra a Sicilia exercitum in Italiam traiecisse, bellumque Graecis intulisse memorauimus, expugnatis Locris, Crotonienses vix vires longo otio ex prioris belli clade resumentes, aggreditur: qui fortius cum paucis tanto exercitui eius, quam antea cum tot millibus Locrensium paucitati restiterunt. Tantum virtutis paupertas aduersus insolentes divitias habet, tantoque insperata interdum sperata victoria certior est. Sed Dionysium gerentem bellum

lum, legati Gallorum, qui ante menses Romam incenderant, societatem amicitiamque petentes adeunt; gentem suam inter hostes eius positam esse, magnoque vsui ei futuram vel in acie bellanti, vel de tergo intentis in praelium hostibus, affirmant. Grata legatio Dionysio fuit. Ita pacta societate, & auxiliis Gallorum auctus, bellum velut ex integro restaurat. Iis autem Gallis caussa in Italiam veniendi, sedesque nouas quaerendi, intestina discordia, & assiduae domi dissensiones fuere: quarum taedio, cum in Italiam venissent, sedibus Tuscos expulerunt; & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Vergamum, Tridentum, Vicentiam condiderunt. Tusci quoque, duce Rhaeto, auitis sedibus amissis, Alpes occupauere: & ex nomine ducis gentes Rhaetorum condiderunt. Sed Dionysium in Siciliam aduentus Carthaginiensium reuocauit: qui reparato exercitu, bellum, quod lue deseruerant, auctis viribus repetebant. Dux belli Hanno Carthaginiensis erat: cuius inimicus Suniatus, potentissimus ea tempestate Poenorum, cum, odio eius, Graecis litteris, Dionysio aduentum exercitus, & segnitiem ducis familiariter praenuntiasset, comprehensis epistolis, proditionis damnatur: facto senatus consulto, ne quis postea Carthaginiensis, aut litteris Graecis, aut sermoni studeret; ne aut loqui cum hoste, aut scribere sine interprete posset. Nec multo post Dionysius, quem paulo an-

ante non Sicilia, non Italia capiebat, assiduis belli certaminibus victus fractusque, insidiis ad postremum suorum interficitur.

LIBER XXI.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Dionysii iunioris artes tyrannicae describuntur.*
2. *Eiusdem luxuria, crudelitas, doli, exsilium tyrannis in Locrenses.*
3. *Callido commento Locrenses spoliat, & obtruncat, ac Syracusas per proditionem recipit.*
4. *Hannonis tyrannidem Carthagini occupare tentantis tragoedia.*
5. *Dionysius iunior Sicilia eiectus Corinthi moratur.*
6. *Hamilcarem cognomine Rhodanum Alexandri consilia speculatum, ingrati Carthaginienses interficiunt.*

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0220
DFG

CAP. I.

Exstincto in Sicilia Dionysio tyranno, in locum eius milites maximum natu ex filiis eius, nomine Dionysium, suffecere; & naturae ius secuti, & quod firmius futurum esse regnum, si penes vnum remansisset, quam si portionibus inter plures filios diuideretur, arbitrabantur. Sed Dionysius inter initia regni, auunculos fratrum suorum, velut aemulos imperii sui, hortatoresque puerorum ad diuisionem regni, tollere gestiebat. Quare paulisper dissimulatum animum prius ad fauorem popularium conciliandum intendit; excusatius facturus quod statuerat, si probatus ante omnibus foret. Igitur nexorum tria millia e carcere dimittit: tributa populo per triennium remittit; & quibuscunque delinimentis potest, animos omnium sollicitat. Tunc ad destinatum facinus conuersus, non cognatos tantum fratrum, sed etiam ipsos interficit: vt quibus consortium regni debebat, ne spiritus quidem consortium relinqueret, tyrannidem in suos prius, quam in exteros auspicatus.

CAP. II. Sublatis deinde aemulis, in segnitiam lapsus, saginam corporis ex nimia luxuria, oculorumque valetudinem contraxit, adeo vt non solem, non puluerem, non denique splendorem ferre lucis ipsius posset. Propter quae dum contemni se putat, saeuitia grassatur; nec vt pater carcerem nexis, sed caedibus ciuitatem replet. Ob quae

quae non contemtior omnibus, quam inuisior fuit. Itaque cum bellum aduersus eum Syracusani decreuissent, diu dubitauit, imperium deponeret, an bello resisteret. Sed a militibus, praedam & vrbis direptionem sperantibus, descendere in praelium cogitur. Victus, cum iterato non felicius fortunam tentasset, legatos ad Syracusanos mittit, spondens se depositurum tyrannidem, si mitterent ad eum, quibuscum sibi de pace conueniret. In quam rem missos primores, in carcere retinet; atque ita incautis omnibus, nec quicquam hostile metuentibus, exercitum ad delendam ciuitatem mittit. Fit igitur in ipsa vrbe anceps praelium: in quo oppidanis multitudine superantibus, Dionysius pellitur: qui cum obsidionem arcis timeret, cum omni regio apparatu in Italiam profugit tacitus. Exsul a Locrensibus sociis exceptus, velut iure regnaret, arcem occupat; solitamque sibi saeuitiam exercet. Coniuges principum ad stuprum rapi iubebat: virgines ante nuptias abducebat, stupratasque sponsis reddebat: locupletissimos quosque aut ciuitate pellebat, aut occidi imperabat, bonaque eorum inuadebat,

CAP. III. Dein cum rapinae occasio deesset, vniuersam ciuitatem callido commento circumuenit. Cum Rheginorum tyranni Leophronis bello Locrenses premerentur, vouerant, si victores forent, vt die festo Veneris virgines suas prostituerent. Quo voto intermisso, cum aduersa bella cum

Lu-

Lucanis gererent, in concionem eos Dionysius vocat: hortatur vt vxores filiasque suas in templum Veneris, quam possint ornatissimas mittant: ex quibus sorte ductae centum, voto publico fungantur, religionisque gratia, vno stent in lupanari mense, omnibus ante iuratis viris, ne quis vllam attaminet. Quae res ne virginibus, voto ciuitatem soluentibus, fraudi esset, decretum facerent, ne qua virgo nuberet, priusquam illae maritis traderentur. Probato consilio, quo & superstitionis & pudicitiae virginum consulebatur, certatim omnes feminae, impensius exornatae in templum Veneris conueniunt: quas omnes Dionysius immissis militibus spoliat, ornamentaque matronarum in praedam suam vertit. Quarundam viros ditiores interficit, quasdam ad prodendas virorum pecunias torquet. Cum his artibus per annos sex regnasset, conspiratione Locrorum ciuitate pulsus, in Siciliam redit. Ibi Syracusas securis omnibus, post longam intercapedinem pacis, per proditionem recepit.

CAP. IV. Dum haec in Sicilia geruntur, interim in Africa princeps Carthaginiensium Hanno opes suas, quibus vires reipubl. superabat, ad occupandam dominationem intendit, regnumque inuadere, interfecto senatu, conatus est. Cui sceleri sollemnem nuptiarum diem filiae suae legit, vt religione votorum nefanda commenta facilius tegerentur. Itaque plebi epulas in publicis porticibus,

senatui in domo sua parat, vt poculis veneno infectis, secretius senatum, & sine arbitris interficeret, orbamque rempubl. facilius inuaderet. Qua re magistratibus per ministros prodita, scelus declinatum, non vindicatum est, ne in viro tam potenti plus negotii faceret res cognita, quam cogitata. Contenti itaque cohibuisse, decreto modum nuptiarum sumtibus statuunt, idque obseruari non ab vno, sed ab vniuersis iubent, ne persona designata, non vitia correcta viderentur. Hoc consilio praeuentus, iterum seruitia concitat, statutaque rursus caedium die, cum denuo se proditum videret, timens iudicium, munitum quoddam castellum cum viginti millibus seruorum armatis occupat. Ibi dum Afros, regemque Maurorum concitat, capitur, virgisque caesus, effossis oculis, & manibus cruribusque fractis, velut à singulis membris poenae exigerentur, in conspectu populi occiditur; corpus verberibus lacerum* in crucem figitur. Filii quoque, cognatique omnes, etiam innoxii, supplicio traduntur, ne quisquam aut ad imitandum scelus, aut ad mortem vlciscendam, ex tam nefaria domo superesset.

* alii codices: in cruce:

CAP. V. Interea Dionysius Syracusis receptis, cum grauior crudeliorque indies ciuitati esset, iterata conspiratione obsidetur. Tunc depositio imperio, arcem Syracusanis cum exercitu tradidit; receptoque priuato instrumento, Corinthum in exsilium proficiscitur. Ibi humillima quaeque tutissima

ma

ma existimans, in sordidissimum vitae genus descendit: non contentus in publico vagari, sed potare: nec conspici in popinis, lupanaribusque, sed totis diebus desidere: cum perditissimo quoque de minimis rebus disceptare, pannosusque & squalidus incedere; risum libentius praebere quam captare: in macello perstare; quod emere non poterat, oculis deuorare: apud Aediles aduersus lenones iurgari; omniaque ita facere, vt contemnendus magis, quam metuendus videretur. Nouissime, ludimagistrum professus, pueros in triuio docebat, vt aut a timentibus semper in publico videretur, aut a non timentibus facilius contemneretur. Nam licet tyrannicis vitiis semper abundaret: tamen simulatio haec vitiorum, non naturae erat; magisque haec arte, quam amisso regali pudore faciebat, expertus, quam inuisa tyrannorum forent etiam sine opibus nomina. Laborabat itaque inuidiam praeteritorum, contemtu praesentium demere: neque honesta, sed tuta consilia circumspiciebat. Inter has tamen dissimulationum artes, insimulatus est affectatae tyrannidis; nec aliter, quam dum contemnitur, liberatus est.

CAP. VI. Inter haec Carthaginienses tanto successu rerum Alexandri Magni exterriti: verentes, ne Persico regno & Africam vellet adjungere, mittunt ad speculandos eius animos Hamilcarem, cognomento Rhodanum, virum sollertia facundiaque praeter ceteros insignem. Augebant enim me-

tum & Tyrus vrbs, auctor originis suae, capta: & Alexandria aemula Carthaginis, in terminis Africae & Aegypti condita: & felicitas regis, apud quem nec cupiditas, nec fortuna vllo modo terminabantur. Igitur Hamilcar per Parmenionem aditu regis obtento, profugisse se ad regem expulsum patria fingit, militemque se expeditionis offert. Atque ita consiliis eius exploratis, in tabellis ligneis, vacua desuper cera inducta ciuibus suis omnia perscribebat. Sed Carthaginienses post mortem regis reuersum in patriam, quasi vrbem regi venditasset, non ingrato tantum, verum etiam & crudeli animo, necauerunt.

LIBER XXII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Agathoclis Siciliae Tyranni pueritia, adolescentia, misera conditio, felicitas bellica, noua dignitas, perfidia, crudelitas, tyrannis.*
2. *Carthaginienses in Hamilcarem proditorem tacita suffragia ferunt.*
3. *Bella Agathoclis.*

4. *Sy-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0226
DFG

4. *Syracusis à Carthaginiensibus obsessis, Agathocles audaci consilio bellum in Africam infert.*
5. *Exposito in litore Africae exercitu graui oratione suos ad pugnam accendit.*
6. *Discussa superstitionis nebula, & nauibus incensis Carthaginienses praelio superat, & vrbes nobilissimas recipit.*
7. *Siciliam Carthaginienses relinquere coguntur, & infeliciter cum Agathocle pugnant in Africa. Fatum acerbum Aphellae & Bomilcaris.*
8. *Agathocles totius Siciliae imperium occupat: in Africam reuersus infeliciter pugnat: castra deserit: vnde militum defectio: filiorum Agathoclis mors cruenta: & Agathoclis pax inita cum Carthaginiensibus.*

CAP. I.

Agathocles Siciliae tyrannus, qui magnitudini prioris Dionysii successit, ad regni maiestatem ex humili & sordido genere peruenit. Quippe in Sicilia patre figulo natus, non honestiorem pueritiam, quam principia originis habuit. Siquidem forma, & corporis pulcritudine egregius, diu vitam stupri patientia exhibuit. Annos deinde pubertatis egressus, libidinem a viris ad feminas

transtulit. Post haec apud vtrumque sexum famosus, vitam latrociniis mutauit. Interiecto tempore, cum Syracusas conscisset, accitusque in ciuitatem inter incolas esset, diu sine fide fuit; Quoniam nec in fortunis quod amitteret, nec in verecundia quod inquinaret, habere videbatur: in summa gregariam militiam sortitus, non minus tunc seditiosa, quam antea turpi vita, in omne facinus promtissimus erat. Nam & manu strenuus, & in concionibus persacundus habebatur. Breui itaque centurio, ac deinceps tribunus militum factus est. Primo bello aduersus Aetnaeos magna experimenta sui Syracusanis dedit. Sequenti Campanorum, tantam de se spem omnibus fecit, vt in locum demortui ducis Damasconis sufficeretur. Cuius vxorem adulterio cognitam, post mortem viri in matrimonium recepit. Nec contentus, quod ex inope repente dives factus esset, piraticam aduersus patriam exercuit. Saluti ei fuit, quod socii capti tortique, de illo negauerunt. Bis occupare imperium Syracusarum voluit: bis in exsilium actus est.

CAP. II. A Murgantinis, apud quos exsulabat, odio Syracusanorum, primo praetor, mox dux creatur. In eo bello & vrbem Leontinorum capit, & patriam suam Syracusas obsidere coepit: ad cuius auxilium Hamilcar dux Poenorum implorato, depositis hostilibus odiis, praesidia militum mittit. Ita vno eodemque tempore Syracusae, &

ab

ab hoste, ciuili amore defensae, & a ciue, hostili odio impugnatae sunt. Sed Agathocles, cum videret fortius defendi vrbem quam oppugnari, precibus per internuntios Hamilcarem exorat, vt inter se & Syracusanos pacis arbitria suscipiat, peculiaria in ipsum officia sua repromittens. Qua spe impletus Hamilcar, societatem cum eo, metu potentiae eius iungit; vt quantum virium Agathocli aduersus Syracusanos dedisset, tantum ipse ad incrementa domesticae potentiae reciperaret. Igitur non pax tantum Agathocli conciliatur: verum etiam praetor Syracusis constituitur. Tunc Hamilcari, expositis ignibus cereis tactisque, in obsequia Poenorum iurat. Deinde acceptis ab eo quinque millibus Afrorum, potentissimos quosque ex principibus interficit: atque ita veluti reipubl. statum formaturus, populum in theatrum ad concionem vocari iubet, contracto in gymnasio senatu, quasi quaedam prius ordinaturus. Sic compositis rebus, immissis militibus populum obsidet; senatum trucidat: cuius peracta caede, ex plebe quoque locupletissimos & promtissimos interficit.

CAP. III. His ita gestis, militem legit, exercitumque conscribit: quo instructus, finitimas ciuitates, nihil hostile metuentes, ex improuiso aggreditur. Poenorum quoque socios, permittente Hamilcare, foede vexat: propter quod querelas Carthaginem socii non tam de Agathocle, quam

de Hamilcare detulerunt: hunc vt dominum & tyrannum, illum vt proditorem arguentes: a quo infestissimo hosti, fortunae sociorum, interposita pactione, donatae sint: sicut ab initio Syracusae in pignus societatis sint traditae, vrbs semper Poenis infesta, & de imperio Siciliae Carthaginis aemula: nunc insuper ciuitates sociorum eidem titulo pacis addictas. Denunciare igitur se, haec breui ad ipsos redundatura, ac propediem sensuros, quantum malum non Siciliae magis, quam ipsi Africae attulerint. His querelis senatus in Hamilcarem accenditur. Sed quoniam in imperio esset, tacita de eo suffragia tulerunt, & sententias, priusquam recitarentur, in vrnam coniectas obsignari iusserunt, dum alter Hamilcar, Gisgonis filius, a Sicilia reuerteretur. Sed haec callida commenta Poenorum, & sententias, inaudita mors Hamilcaris praeuenit; liberatusque est fati munere, quem sui per iniuriam ciues inauditum damnauerant. Quae res Agathocli aduersus Pœnos occasionem mouendi belli dedit. Prima igitur illi cum Hamilcare, Gisgonis filio, praelii congressio fuit: a quo victus, maiori mole reparaturus bellum, Syracusas concessit. Sed secundi certaminis eadem fortuna, quae & prioris, fuit.

CAP. IV. Cum igitur victores Poeni Syracusas obsidione cinxissent, Agathocles cum se neque viribus parem, neque ad obsidionem ferendam instructum videret; super haec a sociis, crudelitate eius

eius offensis, desertus esset: statuit bellum in Africam transferre: mira prorsus audacia, vt, quibus in solo vrbis suae par non erat, eorum vrbi bellum inferret; & qui sua tueri non poterat, impugnaret aliena; victusque victoribus insultaret. Huius consilii non minus admirabile silentium, quam commentum fuit, populo hoc solum professus, inveniſſe se victoriae viam: animos illi tantum in brevem obsidionis patientiam firmarent: vel si cui status praesentis fortunae displiceret, dare se ei discedendi liberam potestatem. Cum mille sexcenti discessissent, ceteros ad obsidionis necessitatem frumento & stipendio instruit: quinquaginta tantum secum talenta ad praesentem vsum aufert, cetera ex hoste melius, quam ex sociis paraturus. Omnes deinde seruos, militaris aetatis, libertate donatos sacramento adegit, eosque ad maiorem partem ferme militum nauibus imponit; ratus exaequata vtriusque ordinis conditione, mutuam inter eos virtutis aemulationem futuram: ceteros omnes ad tutelam patriae reliquit.

CAP. V. Septimo igitur imperii anno, comitibus duobus adultis filiis, Archagatho & Heraclida, nullo militum sciente quo veheretur, cursum in Africam dirigit. Cum omnes aut in Italiam praedatum se, aut in Sardiniam ituros crederent, tum primum, expositio in Africae litore exercitu, consilium suum omnibus aperit. Quo in loco Syracusae positae sint, ostendit: quibus aliud nul-

lum auxilium supereſſet, quam vt hoſtibus faciant, quae ipſi patiantur. Quippe aliter domi, aliter foris bella tractari. Domi ea ſola auxilia eſſe, quae patriae vires ſubminiſtrent: foris hoſtem etiam ſuis viribus vinci deficientibus ſociis, & odio diuturni imperii externa auxilia circumſpicientibus. Huc accedere, quod vrbes, caſtellaque Africae non muris cinctae, non in montibus poſitae ſint, ſed in planis campis, ſine vllis munimentis iaceant: quas omnes metu excidii facile ad belli ſocietatem perlici poſſe. Maius igitur Carthaginienſibus ab ipſa Africa, quam ex Sicilia exarſurum bellum, coiturasque auxilia omnium aduerſus vnam vrbem, nomine quam opibus ampliorem, & quas non attulerit vires, inde ſumturum. Nec in repentino Poenorum metu, modicum momentum victoriae fore, qui tanta audacia hoſtium perculſi, trepidaturi ſint. Acceſſura & villarum incendia, caſtellorum, vrbiumque contumacium direptionem, cum ipſius Carthaginis obſidionem. Quibus omnibus non ſibi tantum in alios, ſed & aliis in ſe ſentient patere bella. His non ſolum Poenos vinci, ſed & Siciliam liberari poſſe. Nec enim moraturos in eius obſidione hoſtes, cum ſua vrgeantur. Nusquam igitur alibi facilius bellum, ſed nec praedam vberiorem inueniri poſſe. Nam capta Carthagine, omnem Africam Siciliamque praemium victorum fore. Gloriam certe tam honeſtae militiae tantam in omne aeuum futuram, vt terminari nullo tempore obliuione poſſit; vt dicatur eos ſolos mortalium

lium esse, qui bella, quae domi ferre non poterant, ad hostes transtulerint, victique victores insecuti sint, & obsessores vrbis suae obsederint. Omnibus igitur forti ac laeto animo bellum ineundum, quo nullum aliud possit aut praemium victoribus vberius, aut victis monumentum illustrius dare.

CAP. VI. His quidem adhortationibus animi militum erigebantur: sed terrebat eos portenti religio, quod nauigantibus eis, sol defecerat. Cuius rei rationem non minore cura rex, quam belli reddebat, affirmans, si priusquam proficiscerentur, factum esset, crediturum aduersum profecturos prodigium esse: nunc quia egressis acciderit, illis ad quos eatur, portendere. Porro defectus naturalium siderum semper praesentem rerum statum mutare: certumque esse, florentibus Carthaginiensium opibus, aduersisque rebus, suis commutationem significari. Sic consolatis militibus, vniuersas naues, consentiente exercitu, incendi iubet, vt omnes scirent, auxilio fugae ademto, aut vincendum, aut moriendum esse. Deinde cum omnia, quacunque ingrederentur, prosternerent, villas castellaque incenderent, obuius eis fuit cum XXX millibus Poenorum Hanno: sed praelio commisso, duo de Siculis, tria millia de Poenis cum ipso duce cecidere. Hac victoria & Siculorum animi eriguntur, & Poenorum franguntur. Agathocles victis hostibus, vrbes castellaque expugnat, praedas ingentes agit, hostium multa millia trucidat. Castra

deinde quinto lapide a Carthagine statuit, vt damna carissimarum rerum, vastitatemque agrorum, & incendia villarum, de muris ipsius vrbis specularentur. Interea ingens tota Africa deleti Poenorum exercitus fama, occupatarumque vrbium, divulgatur. Stupor itaque omnes & admiratio incessit, vnde tanto imperio tam subitum bellum, praesertim ab hoste iam victo, admiratio deinde paulatim in contemtum Poenorum vertitur. Nec multo post non Afri tantum, verum etiam vrbes nobilissimae nouitatem sequutae, ad Agathoclem defecere; frumentoque & stipendio victorem instruxere.

CAP. VII. His Poenorum malis etiam deletus in Sicilia cum imperatore exercitus, velut quidam aerumnarum cumulus accessit. Nam post profectionem a Sicilia Agathoclis, in obsidione Syracusarum Poeni segniores redditi, ab Antandro, fratre regis Agathoclis, occidione caesi nuntiabantur. Itaque cum domi forisque eadem fortuna Carthaginiensium esset, iam non tributariae tantum ab his vrbes, verum etiam socii reges deficiebant, amicitiarum iura non fide, sed successu ponderantes. Erat inter ceteros rex Cyrenarum Aphellas, qui spe improba, regnum totius Africae amplexus, societatem cum Agathocle per legatos iunxerat; pactusque cum eo fuerat, vt Siciliae illi, sibi Africae imperium, victis Carthaginiensibus, cederet. Itaque cum ad belli societatem cum in-

ingenti exercitu ipse veniſſet, Agathocles blando alloquio, & humili adulatione, cum ſaepius simul coenaſſent, adoptatusque filius eius ab Aphella eſſet, incautum interſicit: occupatoque exercitu eius, iterato Carthaginienſes, omnibus viribus bellum cientes, magno vtriusque exercitus ſanguine, graui praelio ſuperat. Hoc certaminis diſcrimine tanta deſperatio illata Poenis eſt, vt niſi in exercitu Agathoclis orta ſeditio fuiſſet, tranſiturus ad eum Bomilcar, rex Poenorum, cum exercitu fuerit. Ob quam noxam in medio foro a Poenis patibulo ſuffixus eſt: vt idem locus monumentum ſupplicio-rum eius eſſet, qui ante fuerat ornamentum honorum. Sed Bomilcar magno animo crudelitatem ciuium tulit; adeo vt de ſumma cruce, veluti de tribunali, in Poenorum ſcelera concionaretur: obiectans illis, nunc Hannonem falſa affectati regni inuidia circumuentum: nunc Gisgonis innocentis exſilium: nunc in Hamilcarem patruum ſuum tacita ſuffragia, quod Agathoclem ſocium illis facere, quam hoſtem maluerit. Haec cum in maxima populi concione vociferatus eſſet, exſpirauit.

CAP. VIII. Interea Agathocles profligatis in Africa rebus, tradito Archagatho filio exercitu, in Siciliam recurrit: nihil actum in Africa exiſtimans, ſi amplius Syracuſae obſiderentur. Nam poſt occiſum Hamilcarem, Gisgonis filium, nouus eo a Poenis miſſus exercitus fuerat. Statim igitur pri-

mo aduentu eius, omnes Siciliae vrbes auditis rebus, quas in Africa gesserat, certatim se ei tradunt: atque ita pulsis a Sicilia Poenis, totius insulae imperium occupauit. In Africam deinde reuersus, seditione militum excipitur. Nam stipendiorum solutio in aduentum patris dilata a filio fuerat. Igitur ad concionem vocatos, blandis verbis permulsit: stipendia illis non a se flagitanda esse; sed ab hoste quaerenda: communem victoriam, communem praedam futuram. Paulum modo anniterentur, dum belli reliquiae peraguntur; cum sciant, Carthaginem captam, spes omnium expleturam. Sedato militari tumultu, interiectis diebus, ad castra hostium exercitum ducit: ibi inconsultius praelium committendo, maiorem partem exercitus perdidit. Cum itaque in castra fugisset, versamque in se inuidiam temere commissi belli videret, pristinamque offensam non dependi stipendii metueret; concubia nocte solus a castris cum Archagatho filio profugit. Quod vbi milites cognouere, haud secus quam si ab hoste capti essent, trepidauere: Bis se a rege suo in mediis hostibus relictos esse proclamantes, salutemque suam desertam ab eo esse, quorum ne sepultura quidem relinquenda fuerit. Dum persequi regem vellent, a Numidis excepti, in castra reuertuntur; comprehenso tamen reductoque Archagatho, qui a patre noctis errore discesserat. Agathocles autem nauibus, quibus reuersus a Sicilia fuerat, cum custodibus earundem Syracusas defertur. Exemplum fla-

flagitii singulare, rex exercitus sui desertor, filiorumque pater proditor. Interim in Africa post fugam regis, milites pactione cum hostibus facta, interfectis Agathoclis liberis; Carthaginiensibus se tradidere. Archagathus cum occideretur ab Archesilao amico antea patris, rogauit eum quidnam liberis eius facturum Agathoclem putet, per quem ipse liberis careat? Tunc respondit, satis habere se, quod superstites eos esse Agathoclis liberis sciat. Post haec Poeni ad persequendum belli reliquias, duces in Siciliam miserunt, cum quibus Agathocles pacem aequis conditionibus fecit.

LIBER XXIII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Agathocles transit in Italiam aduersus Bruttios. Quorum origo & potentia paucis perstringitur.*
2. *Agathocles vi morbi expugnatus reuertitur in Siciliam, vbi turbae domesticae; quae uxorem & liberos Agathoclis in Aegyptum pellunt. Agathoclis obitus.*
3. *Pyrrhi Epirotae bella & res gestae, cum in Sicilia, tum in Italia.*

4. *Hie-*

4. *Hieronis Siciliae Principis laudatissimi dignitas & virtus.*

CAP. I.

Agathoeles rex Siciliae pacificatus cum Carthaginiensibus, partem ciuitatium a se fiducia virium dissidentem armis subegit. Dein quasi angustiis insulae terminis clauderetur, cuius imperii partem primis incrementis ne sperauerat quidem, in Italiam transcendit; exemplum Dionysii secutus, qui multas ciuitates Italiae subegerat. Primi igitur hostes illi Bruttii fuere, qui & fortissimi tum, & opulentissimi videbantur, simul & ad iniurias vicinorum promti. Nam multas ciuitates Graeci nominis Italia expulerant: auctores quoque suos Lucanos bello vicerant, & pacem cum his, aequis legibus fecerant. Tanta feritas animorum erat, vt nec origini suae parcerent. Namque Lucani iisdem legibus liberos suos, quibus & Spartani, instituere soliti erant. Quippe ab initio pubertatis, in siluis inter pastores habebantur, sine ministerio seruili, sine veste, quam induerent, vel cui incubarent; vt a primis annis duritiae parcimoniaeque, sine vllo vsu vrbis, assuescerent. Cibus his praeda venatica, potus aut lactis, aut fontium liquor erat. Sic ad labores bellicos indurabantur. Horum igitur ex numero quinquaginta primo ex agris finitimorum praedari soliti, confluente deinde multitudine, sollicitati praeda, cum plures facti essent, in-

se-

festas regiones reddebant. Itaque fatigatus querelis sociorum Dionysius, Siciliae tyrannus, sexcentos Afros ad compescendos eos miserat, quorum castellum proditum sibi per Bruttiam mulierem, expugnauerunt; ibique ciuitatem, concurrentibus ad opinionem nouae vrbis pastoribus, statuerunt; Bruttiosque se ex nomine mulieris vocauerunt. Primum illis cum Lucanis, originis suae auctoribus, bellum fuit. Qua victoria erecti, cum pacem aequo iure fecissent, ceteros finitimos armis subegerunt; tantasque opes breui consecuti sunt, vt pernicioſi etiam regibus haberentur. Denique Alexander rex Epiri, quum in auxilium Graecarum ciuitatum, cum magno exercitu, in Italiam venisset, cum omnibus copiis ab his deletus est. Quare feritas eorum successu felicitatis incensa, diu terribilis finitimis fuit. Ad postremum imploratus Agathocles, spe ampliandi regni, a Sicilia in Italiam traiecit.

CAP. II. Principio aduentus opinionis eius concussi, legatos ad eum, societatem amicitiamque petentes miserunt. Quos Agathocles ad cœnam inuitatos, ne exercitum traiici viderent, in posterum statuta his die, conscensis nauibus frustratus est. Sed fraudis haud laetus euentus fuit: siquidem reuerti eum in Siciliam, interiectis paucis diebus, vis morbi coëgit, quo toto corpore comprehensus, per omnes neruos articulosque humore pestifero grassante, velut intestino singulorum membro-

brorum bello impugnabatur. Ex qua desperatione bellum inter filium nepotemque eius, regnum iam quasi mortui vindicantibus, oritur: occiso filio, regnum nepos occupauit. Igitur Agathocles, cum morbi cura, & aegritudo grauiores essent, & inter se alterum alterius malo crescerent; desperatis rebus, vxorem suam Texenam, genitosque ex ea duos paruulos, cum omni pecunia, & familia, regalique instrumento, quo praeter illum nemo regum ditior fuit, nauibus impositos Aegyptum, vnde vxorem acceperat, remittit; timens, ne praedonem regni sui, hostem paterentur. Quamquam uxor diu, ne ab aegro diuelleretur, deprecata est, ne discessus suus adiungi nepotis parricidio posset, & tam cruente haec deseruisse virum, quam ille impugnasse auum videretur; Nubendo se non prosperae tantum, sed omnis fortunae iniisse societatem: nec inuitam periculo spiritus sui emturam, vt extremos viri spiritus exciperet; & exsequiarum officium, in quod, profecta se, nemo sit successurus, obsequio debitae pietatis impleret. Discedentes paruuli, flebili vlulatu amplexi patrem tenebant. Ex altera parte vxor maritum, non amplius visura, oculis fatigabat. Nec minus senis lacrymae miserabiles erant. Flebant hi morientem patrem; ille exsules liberos: hi discessu suo solitudinem patris, aegri senis; ille in spem regni susceptos relinqui in egestate lugebat. Inter haec regia omnis, assistentium fletibus tam crudelis discidii impleta, resonabat.

Tan-

Tandem finem lacrymis necessitas profectionis imposuit, & mors regis profiscscentes filios insequuta est. Dum haec aguntur, Carthaginienses cognitis, quae in Sicilia agebantur, occasionem totius insulae occupandae datam sibi existimantes, magnis viribus eo traiiciunt; multasque ciuitates subigunt.

CAP. III. Eo tempore & Pyrrhus aduersus Romanos bellum gerebat; qui imploratus a Siculis in auxilium, sicuti dictum est, cum Syracusas venisset, multasque ciuitates subegisset, rex Siciliae, sicut Epiri, appellatur. Quarum rerum felicitate laetus, Heleno filio Siciliae, velut auitum, (nam susceptus ex filia Agathoclis regis erat) Alexandro autem Italiae regnum destinat. Post haec multa secunda praelia cum Carthaginiensibus facit. Interiecto deinde tempore, legati ab Italicis sociis venere, nuntiantes, Romanis resisti non posse, deditionemque futuram, nisi subueniat. Anxius tam ambiguo periculo, incertusque quid ageret, vel quibus primum subueniret, in vtrumque pronus consultabat. Quippe instantibus hinc Carthaginiensibus, inde Romanis, periculosum videbatur, exercitum in Italiam non traiicere; periculosius, a Sicilia deducere; ne aut illi non lata ope, aut hi deserti amitterentur. In hoc aestu periculorum, tutissimus portus consiliorum visus est, omnibus viribus decernere in Sicilia; & profligatis Carthaginiensibus, victorem exercitum transponere in Ita-

Italiam. Itaque conserto praelio, cum superior fuisset, quoniam tamen a Sicilia abiret, pro victo fugere visus est: ac propterea socii ab eo defecerunt; & imperium Siciliae tam cito amisit, quam facile quaesierat. Sed nec in Italia meliore felicitate vsus, in Epirum reuertitur. Admirabilis vtrivsque rei casus, in exemplum fuit. Nam sicut ante secunda fortuna, rebus supra vota fluentibus, Italiae Siciliaeque imperium, & tot de Romanis victorias adstruxerat: ita nunc aduersa, velut in ostentationem fragilitatis humanae, destruens, quae cumulauerat, Sicilienſi ruinae naufragium maris, & foedam aduersus Romanos pugnam, turpemque ab Italia discessum adiecit.

CAP. IV. Post profectionem a Sicilia Pyrrhi, magistratus Hiero creatur: cuius tanta moderatio fuit, vt consentiente omnium ciuitatium fauore, dux aduersus Carthaginienses primum, mox rex crearetur. Huius futurae maiestatis, ipsa infantis educatio quasi praenuntia fuit: quippe genitus erat patre Hieroclyto, nobili viro, cuius origo a Gelo, antiquo Siciliae tyranno, manabat: sed maternum illi genus sordidum, atque adeo pudibundum fuit. Nam ex ancilla natus, ac propterea a patre, velut dehonestamentum generis, expositus fuerat. Sed paruulum, & humanae opis egentem, apes, congesto circa iacentem melle, multis diebus aluere. Ob quam rem responso aruspicum admonitus pater, qui regnum infanti por-

portendi canebant, paruulum recolligit, omnique ſtudio ad ſpem maieſtatis, quae promittebatur, inſtituit. Eidem in ludo inter coaequales diſcenti, lupus tabulam, in turba puerorum repente conſpectus, eripuit. Adoleſcenti quoque prima bella ineunti, aquila in clypeo, noctua in haſta conſedit. Quod oſtentum & conſilio cautum, & manu promtum, regemque futurum ſignificabat. Denique aduerſus prouocatores ſaepe pugnauit, ſemperque victoriam reportauit. A Pyrrho rege multis militaribus donis donatus eſt. Pulcritudo ei corporis inſignis, vires quoque in homine admirabiles fuere: in alloquio blandus, in negotio iuſtus, in imperio moderatus: prorſus vt nihil ei regium deeſſe, praeter regnum, videretur.

LIBER XXIV.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Graeciae ciuitates aliae in alias aſſurgunt.*
2. *Ptolemaei Macedonis in ſororem Arſinoen conſpiratio.*
3. *Inceſtuoſae Ptolemaei & Arſinoes nuptiae, tragicis caſibus ſoluuntur.*
4. *Gallorum, qui Ptolemaeum vicerunt & interfecerunt, in Macedoniam irruptio.*

5. *Quo*

5. *Quo strategemate Ptolemaeum aggressi sint, & oppresserint. Macedonum luctus & instauratio.*
6. *Alia Gallorum Brenno Duce in Graeciam expeditio: & de spoliatione Delphici templi consilium. Huius templi & oraculi descriptiones.*
7. *Brenni & aliorum consultatio de templi oppugnatione, & hortatio ad milites.*
8. *Oppugnatio irrita: & clades Gallici exercitus Brenno interfecto.*

CAP. I.

Dum haec in Sicilia geruntur, interim in Graecia, dissidentibus inter se bello Ptolemaeo Cerauno, & Antiocho, & Antigono regibus: omnes ferme Graeciae ciuitates, ducibus Spartanis velut occasione data, ad spem libertatis erectae, missis inuicem legatis, per quos in societatis foedera alligarentur, in bellum prorumpunt: & ne cum Antigono, sub cuius regno erant, bellum cepisse viderentur, socios eius Aetolos aggrediuntur, causas belli praetendentes, quod consensu Graeciae sacratum Apollini Cirraeum campum, per vim occupassent. Huic bello ducem deligunt Arean; qui adunato exercitu, vrbes, sataque in his campis posita, depopulatur: quae auferri non poterant, incendit. Quod cum e montibus conspicati Aeto-

Aetolorum paſtores eſſent, congregati admodum quingenti, ſparſos hoſtes, ignorantesque quanta manus eſſet, quoniam conſpectum illis metus & incendiorum fumus abſtulerat, conſectantur, trucidatisque admodum nouem millibus, praedones in fugam verterunt. Reparantibus deinde Spartanis bellum, auxilium multae ciuitates negauerunt, exiſtimantes, dominationem eos, non libertatem Graeciae, quaerere. Interea inter reges bellum finitur: nam Ptolemaeus pulſo Antigono cum regnum totius Macedoniae occupaſſet, pacem cum Antiocho facit; affinitatemque cum Pyrrho, data ei in matrimonium filia ſua, iungit.

CAP. II. Exinde externo metu depoſito, impium & facinoroſum animum ad domeſtica ſcelera conuertit, inſidiasque Arſinoae ſorori ſuae inſtruit: quibus & filios eius vita, & ipſam Caſſandreae vrbis poſſeſſione priuaret. Primus ei dolus fuit, ſimulato amore, ſororis matrimonium petere, aliter enim ad ſororis filios, quorum regnum occupauerat, quam concordiae fraude peruenire non poterat. Sed nota ſcelerata Ptolemaei voluntas ſorori erat. Itaque non credenti mandat, velle ſe cum filiis eius regni conſortium iungere: cum quibus non ideo ſe armis contendiſſe, quoniam eripere his regnum; ſed quod id facere ſui muneris vellet. In hoc mitteret arbitrum iurisiurandi: quo praeſente apud deos patrios, quibus vellet obſecrationibus, ſe obligaret. Incerta Arſinoë quid age-

ageret: si mitteret, decipi perjurio: si non mitteret, prouocare rabiem fraternae crudelitatis timebat. Itaque plus liberis, quam sibi timens, quos matrimonio suo protecturam se arbitrabatur, mittit ex amicis suis Chodionem: quo perducto in sanctissimum Iouis templum, veterrimae Macedonum religionis, Ptolemaeus sumtis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra, & puluinaria deorum, inauditis, vltimisque exsecrationibus adiurat, se sincere fide matrimonium sororis petere; nuncupaturumque se eam reginam; neque in contumeliam eius se aliam vxorem, aliosue, quam filios eius, liberos habiturum. Arsinoë postquam & spe impleta est, & metu soluta, ipsa eum fratre colloquitur: cuius vultus, & blandientes oculi, cum fidem non minorem, quam iusiurandum promitterent, reclamante Ptolemaeo filio fraudem subesse, in matrimonium fratris concedit.

CAP. III. Nuptiae magno apparatu, laetitiaque omnium celebrantur. Ad concionem quoque vocato exercitu, capiti sororis diadema imponit, reginamque eam appellat. Quo nomine in laetitiam effusa Arsinoë, quia quod morte Lysimachi prioris mariti amiserat, recepisset; vltro virum in vrbem suam Cassandream inuitat; cuius vrbis cupiditate fraus struebatur. Praegressa igitur virum, diem festum vrbi in aduentum eius indicit: domos, templa, ceteraque omnia exornari iubet: aras vbique hostiasque disponi: filios quoque suos,

Ly-

Lysimachum sexdecim annos natum, Philippum triennio minorem, vtrumque forma insignem, coronatos occurrere iubet. Quos Ptolemaeus ad celandam fraudem, cupide & vltra modum verae affectionis amplexus, osculis diu fatigat. Vbi ad portam ventum est, occupari arcem iubet; pueros interfici. Qui cum ad matrem confugissent, in gremio eius, inter ipsa oscula trucidantur. Proclamante Arsinoe, quod tantum nefas aut nubendo, aut post nuptias contraxisset, pro filiis saepe se percussoribus obtulit: frequenter corpore suo puerorum corpora amplexata protexit: vulnerague excipere, quae liberis intendebantur, voluit. Ad postremum etiam spoliata funeribus filiorum, scissa veste, & crinibus sparsis, cum duobus seruulis ex vrbe protracta, Samothraciam in exsilium abiit; eo miserior, quod mori cum filiis ei non licuit. Sed nec Ptolemaeo inulta scelera fuerunt. Quippe diis immortalibus tot periuria, & tam cruenta parricidia vindicantibus, breui post a Gallis spoliatus regno, captusque, vitam ferro, vt meruerat, amisit.

CAP. IV. Namque Galli, abundanti multitudine, cum eos non caperent terrae, quae genuerant, trecenta millia hominum ad sedes nouas quaerendas, velut ver sacrum miserunt. Ex his portio in Italia consedit, quae & vrbem Romanam captam incendit; & portio Illyricos sinus, ducibus auibus (nam augurandi studio Galli praeter ceteros callent)

per strages Barbarorum penetrauit, & in Pannonia consedit: gens aspera, audax, bellicosa, quae prima post Herculem, cui ea res virtutis admirationem & immortalitatis fidem dedit, Alpium inuicta iuga, & frigore intractabilia loca transcendit: ibi domitis Pannoniis, per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante deinde successu, diuisis agminibus, alii Graeciam, alii Macedoniam, omnia ferro proterentes, petiuere. Tantusque terror Gallici nominis erat, vt etiam reges non lacessiti, vltro pacem ingenti pecunia mercarentur. Solus Rex Macedoniae Ptolemaeus, aduentum Gallorum intrepidus audiuit; hisque cum paucis & incompositis, quasi bella non difficilius, quam scelera patrarentur, paricidiorum furiis agitatus, occurrit. Dardanorum quoque legationem, viginti millia armatorum in auxilium offerentem, spreuit; addita insuper contumelia; actum de Macedonia dicens, si cum totum Orientem soli domuerint, nunc in vindictam finium Dardanis egeant: milites se habere filios eorum, qui sub Alexandro rege stipendia, toto orbe terrarum victores, fecerint. Quae vbi Dardano regi nuntiata sunt, inclytum illud Macedoniae regnum breui, immaturi iuuenis temeritate casurum dixit.

CAP. V. Igitur Galli, duce Belgio, ad tentandos Macedonum animos, legatos ad Ptolemaeum mittunt, offerentes pacem, si emere velit: sed Ptolemaeus inter suos, belli metu pacem Gallos

los petere gloriatus est. Nec minus ferociter se legatis, quam inter amicos iactauit; aliter se pacem daturum negando, nisi principes suos obsides dederint, & arma tradiderint. Non enim fidem se, nisi inermibus, habiturum. Renunciata legatione, risere Galli, undique acclamantes, breui sensurum, sibi an illi consulentes, pacem obtulerint. Interiectis diebus, praelium conseritur, victique Macedones caeduntur. Ptolemaeus multis vulneribus saucius capitur: caput eius amputatum, & lancea fixum, tota acie ad terrorem hostium circumfertur. Paucos ex Macedonibus fuga seruauit: ceteri aut capti, aut occisi. Haec cum nuntiata per omnem Macedoniam essent, portae vrbium clauduntur; luctu omnia replentur, nunc orbitatem amissorum filiorum dolebant: nunc excidia vrbium metuebant: nunc Alexandri, Philippique regum suorum nomina, sicuti numina, in auxilium vocabant. Sub illis se non solum tutos, verum etiam victores orbis terrarum exstitisse, vt tuerentur patriam suam, quam gloria rerum gestarum caelo proximam reddidissent; vt opem afflictis ferrent, quos furor & temeritas Ptolemaei regis perdidisset, orabant. Desperantibus omnibus, non votis agendum, Sosthenes vnus de Macedonum principibus, ratus, contracta iuuentute, & Gallos victoria exsultantes compescuit; & Macedoniam ab hostili populatione defendit. Ob quae virtutis beneficia, multis nobilibus regnum Macedoniae affectantibus, ignobilis ipse praeponitur: &

cum rex ab exercitu appellatus esset, ipse non in regis, sed ducis nomen iurare milites compulit.

CAP. VI. Interea Brennus, quo duce portio Gallorum in Graeciam se effuderat, audita victoria suorum, qui Belgio duce Macedones vicerant: indignatus parta victoria opimam praedam, & Orientis spoliis onustam tam facile relictam esse, ipse adunatis CL. millibus peditum, & XV millibus equitum, in Macedoniam irrumpit. Cum agros villasque popularetur, occurrit ei cum instructo exercitu Macedonum Sosthenes: sed pauci a pluribus, trepidi a valentibus facile vincuntur. Itaque cum victi se Macedones intra muros vrbium condidissent; victor Brennus, nemine prohibente, totius Macedoniae agros depraedatur. Inde quasi terrena iam spolia sorderent, animum ad deorum immortalium templa conuertit, scurriliter iocatus, locupletes deos largiri hominibus oportere. Statim igitur Delphos iter vertit, praedam religioni, aurum offensae deorum immortalium praeferens; quos nullis opibus egere, vt qui eas largiri hominibus soleant, affirmabat. Templum autem Apollinis Delphis positum est in monte Parnaso, in rupe vndique impendente: ibique ciuitatem frequentia hominum facit: qui ad affirmationem maiestatis vndique concurrentes, in eo saxo consedere: atque ita templum & ciuitatem non muri, sed praecipitia; nec manu facta, sed naturalia praesidia defendunt: prorsus vt incertum sit, vtrum munimen-

mentum loci, an maiestas dei plus hic admirationis habeat. Media saxi rupes in formam theatri recessit, Quamobrem & hominum clamor, & si quando accedit tubarum sonus, personantibus & respondentibus inter se rupibus, multiplex audiri, ampliorque quam editur, resonare solet. Quae res maiorem maiestatis terrorem ignaris rei, & admirationem stupentibus plerumque affert. In hoc rupis anfractu, media ferme montis altitudine, planicies exigua est, atque in ea profundum terrae foramen, quod in oracula patet: ex quo frigidus spiritus, vi quadam velut vento in sublime expulsus, mentes vatum in vecordiam vertit; impletasque deo, responsa consulentibus dare cogit. Multa igitur ibi & opulenta regum populorumque visuntur munera; quaeque magnificentia sui reddentium vota gratam voluntatem, & deorum responsa manifestant.

CAP. VII. Igitur Brennus cum in conspectu haberet templum, diu deliberauit, an confestim rem aggrederetur; an vero fessis via militibus, noctis spatium ad resumendas vires daret. Emanus & Thessalorus duces, qui se ad praedae societatem iunxerant, amputari moras iubent, dum imparati hostes & recens aduentus sui, terrori esset: interiecta nocte & animos hostibus, forsitan & auxilia accessura; & vias, quae tunc pateant, obstructum iri. Sed Gallorum vulgus ex longa inopia, vbi primum vino, ceterisque commeati-

bus referta rura inuenit, non minus abundantia, quam victoria laetum, per agros se sparserat; desertisque signis ad occupanda omnia pro victoribus vagabantur. Quae res dilationem Delphis dedit. Prima namque opinione aduentus Gallorum prohibiti agrestes oraculis feruntur, messes, vinaque villis efferre: Cuius rei salutare praeceptum non prius intellectum est, quam vini, ceterarumque copiarum abundantia velut mora Gallis obiecta, auxilia finitimorum conuenere. Prius itaque vrbem suam Delphi, aucti viribus sociorum, permuniuere, quam Galli vino velut praedae incubantes, ad signa reuocarentur. Habebat Brennus lecta ex omni exercitu peditum sexaginta quinque millia: Delphorum sociorumque non nisi quatuor millia militum erant; quorum contemtu Brennus ad acuendos suorum animos, praedae vbertatem omnibus ostendebat, statuasque cum quadrigis, quarum ingens copia procul visebatur, solido auro fusas esse, plusque in pondere, quam in specie habere praedae affirmabat.

CAP. VIII. Hac asseueratione incitati Galli, simul & hesterno mero saucii, sine respectu periculorum in bellum ruebant. Contra Delphi plus in Deo, quam in viribus reponentes, cum contemtu hostium resistebant, scandentesq; Gallos e summo montis vertice, partim saxo, partim armis obruebant. In hoc partium certamine, repente vniuersorum templorum antistites, simul & ipsi vates, spar-

sparsis crinibus, cum insignibus atque infulis, pavidi vecordesque in primam pugnantium aciem procurrunt: adueniſſe Deum clamant; eumque ſe vidiſſe deſilientem in templum per culminis aperta faſtigia. Dum omnes opem dei ſuppliciter implorant, iuuenem ſupra humanum modum inſignis pulchritudinis, comitesque ei duas armatas virgines, ex propinquis duabus Dianae Mineruaeque aedibus occurriſſe, nec oculis tantum haec ſe perſpexiſſe: audiſſe etiam ſtridorem arcus, ac ſtrepitum armorum, proinde ne cunctarentur, diis antesignanis, hoſtem caedere, & victoriae deorum ſocios ſe adiungere, ſummis obſecrationibus monebant. Quibus vocibus incenſi, omnes certatim in praelium proſiliunt. Praeſentiam dei & ipſi ſtatim ſenſere, nam & terrae motu portio montis abrupta, Gallorum ſtrauit exercitum, & confertiſſimi cunei non ſine vulneribus hoſtium diſſipati ruebant. Inſecuta deinde tempeſtas eſt, quae grandine & frigore ſaucios ex vulneribus abſumſit. Dux ipſe Brennus cum dolorem vulnerum ferre non poſſet, pugione vitam finiuit. Alter ex ducibus, punitis belli auctoribus, cum decem millibus ſauciorum citato agmine Graecia excedit. Sed nec fugientibus fortuna commodior fuit: ſiquidem pauidis nulla ſub tectis acta nox; nullus ſine labore & periculo dies; aſſidui imbres & gelu, nix concreta, & fames, & laſſitudo, & ſuper haec maximum peruigiliae malum, miſeras infelicis belli reliquias obterebant. Gentes quoque nationesque,

per quas iter habebant, palantes velut praedam sectabantur. Quo pacto euenit, vt nemo ex tanto exercitu, qui paulo ante fiducia virium etiam aduersus deos contendebat, vel ad memoriam tantae cladis, superesset.

LIBER XXV.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Gallorum in Antigonum Macedoniae Regem conspiratio.*
2. *Dum ad praedam currunt, praedae fiunt ipsi, & Antigonus pacem obtinet. Nomen Gallorum formidabile & armorum inuicta felicitas.*
3. *Pyrrhus Macedonia potitur, Antigono electo.*
4. *Pyrrhus dum monarchiam somniat, a Spartanis mulieribus atteritur.*
5. *Pyrrhus apud Argos occiditur, cuius elogium & rerum summam Iustinus subiicit.*

CAP. I.

Inter duos reges, Antigonum & Antiochum, statuta pace, cum in Macedoniam Antigonus reverteretur, nouus eidem repente hostis exortus est.

Quip-

Quippe Galli, qui a Brenno duce, cum in Graeciam proficiſceretur, ad terminos gentis tuendos relicti fuerant, ne ſoli deſides viderentur, peditum quindecim millia, equitum tria millia armaverunt; fugatisque Getarum Triballorumque copiis, Macedoniae imminentes, legatos ad regem miſerunt, qui pacem ei venalem offerrent, ſimul & regis caſtra ſpecularentur. Quos Antigonus pro regali munificentia, ingenti apparatu epularum ad cœnam inuitauit. Sed Galli expoſitum grande auri argentique pondus admirantes, atque praedae vbertate ſollicitati, infeſtiores quam venerant, reuertuntur. Quibus & elephantos ad terrorem, velut inuſitatas Barbaris formas, rex oſtendi iuſſerat, & naues onuſtas copiis demonſtrari: ignarus, quod, quibus oſtentatione virium metum ſe iniicere exiſtimabat, eorum animos vt ad opimam praedam ſollicitabat. Itaque legati ad ſuos reuerſi, omnia in maius extollentes, opes pariter & negligentiam regis oſtendunt: referta auro & argento caſtra; ſed neque vallo, foſſave munita & quaſi ſatis munimenti in diuitiis haberent, ita eos omnia officia militaria intermiſiſſe: prorſus quaſi ferri auxilio non indigerent, quoniam abundarent auro.

CAP. II. Hac relatione auidae gentis animi ſatis ad praedam incitabantur. Accedebat tamen & exemplum Belgii, qui non magno ante tempore Macedonum exercitum cum rege trucidauerat.

Itaque consentientibus omnibus, nocte castra regis aggrediuntur: qui praesentiens tantam tempestatem, signum pridie dederat, vt omnibus rebus ablatis, in proxima silua taciti se occultarent. Neque aliter seruata castra, quam quod deserta sunt. Siquidem Galli, vbi omnia vacantia, nec sine defensoribus modo, verum etiam sine custodibus vident, non fugam hostium, sed dolum arbitrantes, diu intrare portas timuerunt. Ad postremum integris & intactis munimentis, scrutantes potius quam diripientes, castra occupauerunt. Tunc ablatis quae inuenerant, ad litus conuertuntur. Ibi dum naues incautius diripiunt, a remigibus, & ab exercitus parte, quae eo cum conjugibus & liberis confugerant, nihil tale metuentes trucidantur: tantaque caedes Gallorum fuit, vt Antigono pacem opinio huius victoriae, non a Gallis tantum, verum etiam a finitimorum feritate praestiterit. Quanquam Gallorum ea tempestate tantae fecunditatis iuuentus fuit, vt Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Denique neque reges Orientis sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserunt: neque pulsi regno ad alios quam ad Gallos confugerunt. Tantus terror Gallici nominis, & armorum inuicta felicitas erat, vt aliter neque maiestatem suam *tutam, neque amissam reciperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. Itaque in auxilium a Bithyniae rege inuocati, regnum cum eo parta victoria diuiserunt; eamque regionem Gallograeciam cognominauerunt.

*alii: tutari. CAP.

CAP. III. Dum haec in Asia geruntur, interim in Sicilia Pyrrhus a Poenis nauali praelio victus, ab Antigono Macedoniae rege supplementum militum per legatos petit: denuntians, ni mittat, redire se in regnum necesse habere, incrementa rerum, quae de Romanis voluerit, de ipso quaesiturum. Quod vbi negatum legati retulerunt, dissimulatis causis, repentinam fingit profectionem. Socios interim parare bellum iubet: arcis Tarentinae custodiam Heleno filio, & amico Miloni tradit. Reuersus in Epirum, statim fines Macedoniae inuadit; cui Antigonus cum exercitu occurrit, victusque praelio in fugam vertitur. Atque ita Pyrrhus Macedoniam in deditionem accipit; & veluti damna amissae Siciliae Italiaeque acquisito Macedoniae regno pensasset, relictum Tarenti filium & amicum arcessit. Antigonus autem cum paucis equitibus, fugae comitibus, repente fortunae ornamentis destitutus, amissi regni speculaturus eventus, Thessalonicam se recepit: vt inde cum conducta Gallorum mercenaria manu bellum repararet. Rursus a Ptolemaeo Pyrrhi filio funditus victus cum septem comitibus fugiens, non iam reciperandi regni spem, sed salutis latebras, ac fugae solitudines captat.

CAP. IV. Igitur Pyrrhus in tanto fastigio regni collocatus, iam nec eo ad quod votis perueniendum fuerat contentus, Graeciae Asiaeque regna meditatur. Neque illi maior ex imperio, quam

ex bello voluptas erat: nec quisquam Pyrrhum, qua tulisset impetum, sustinere valuit. Sed vt ad deuincenda regna inuictus habebatur: ita deuictis acquisitisque celeriter carebat, tanto melius studebat acquirere imperia, quam retinere. Itaque cum copias Chersoneso transposuisset, legationibus Athenienſium, & Achaeorum, Messeniorumque excipitur. Sed & Graecia omnis admiratione nominis eius, simul & rerum aduersus Romanos Poenosque gestarum gloria attonita, aduentum eius exspectabat. Primum illi bellum aduersus Spartanos fuit: vbi maiore mulierum, quam virorum virtute exceptus, Ptolemaeum filium, & exercitus partem robustissimam amisit. Quippe oppugnanti vrbem, ad tutelam patriae tanta multitudo feminarum concurrit, vt non fortius victus, quam verecundius recederet. Porro Ptolemaeum filium eius adeo strenuum, & manu fortem fuisse tradunt, vt vrbem Corcyram cum sexaginta ceperit: item praelio nauali quinqueremem ex scapha cum septem insiluerit, captamque tenuerit. In oppugnatione quoque Spartanorum vsque in mediam vrbem equo procurrerit; ibique concursu multitudinis interfectus sit. Cuius corpus vt relatum patri est, dixisse Pyrrhum ferunt, aliquanto tardius eum, quam timuerit ipse, vel temeritas eius meruerit, occisum esse.

CAP. V. Repulsus a Spartanis Pyrrhus, Argos petit: ibi dum Antigonum in vrbe clausum ex-

expugnare conatur, inter confertissimos violentissime dimicans, saxo de muris ictus occiditur. Caput eius Antigono refertur: qui victoria mitius vsus, filium eius Helenum cum Epirotis sibi deditum, in regnum remisit, eique insepulti patris ossa in patriam referenda tradidit. Satis constans inter omnes auctores fama est, nullum nec eius, nec superioris aetatis regem comparandum Pyrrho fuisse; raroque non inter reges tantum, verum etiam inter illustres viros, aut vitae sanctioris, aut iustitiae probatioris visum fuisse: Scientiam certe rei militaris in illo viro tantam fuisse, vt cum Lysimacho, Demetrio, Antigono, tantis regibus bella gerens, inuictus semper fuerit. Illyriorum quoque, Siculorum, Romanorumque, & Carthaginiensium bellis, nunquam inferior, plerumque etiam victor exstiterit: qui patriam certe suam angustam, ignobilemque, fama rerum gestarum, & claritate nominis sui, toto orbe illustrem reddiderit.

LIBER XXVI.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Peloponnesii per proditionem Antigono traduntur. Aristotimus tyrannus Epirotas affligit, & Hellanici prudentia opprimitur.*

2. *Antigonus Gallis occurrit, qui in furorem versi coniuges & liberos suos trucidant: deinde Numinis vindicta omnes internecione delentur. Antigoni varii casus.*
3. *Alexander, Pyrrhi filius, in regnum restituitur. Regni Cyrenarum turbulentus status.*

CAP. I.

Post mortem Pyrrhi non in Macedonia tantum, verum etiam in Asia, Graeciaque, magni bellorum motus fuere. Nam & Peloponnesii per proditionem Antigono traditi; & variante hominum partim dolore, partim gaudio, prout singulae civitates aut auxilium de Pyrrho sperauerant, aut metus sustinuerant, ita aut cum Antigono societatem iungebant, aut mutuis inter se odiis in bellum ruebant. Inter hunc turbatarum prouinciarum motum, Epirorum quoque vrbs ab Aristotimo principe per tyrannidem occupatur: a quo cum multi ex primoribus occisi, plures in exsilium acti essent, Aetolis per legatos postulantibus, coniuges liberosque exsulum redderet, primo negauit: postea quasi poeniteret, proficiscendi ad suos omnibus matronis potestatem dedit; diemque profectionis statuit. Illae quasi in perpetuum cum viris exsulaturae, pretiosissima quaeque auferentes cum ad portam quasi vno agmine profecturae conuenissent, omni-

omnibus rebus exspoliatae, in carcerem recluduntur: occisis prius in gremio matrum paruulis liberis, virginibusque ad stuprum direptis. Ad tam saeuam dominationem stupentibus omnibus, princeps eorum Hellanicus, senex & liberis orbus, vt qui nec aetatis nec pignoris respectu timeret, contractos domum fidissimos amicorum in vindictam patriae hortatur. Cunctantibus priuato periculo publicum finire, & deliberandi spatium postulantibus, arcessitis seruis iubet obserari fores; tyrannoque nuntiari, mitteret qui coniuratos apud se comprehenderet: obiectans singulis, se, quia liberandae patriae auctor esse non possit, desertae vltorem futurum. Tunc illi ancipiti periculo circumuenti, honestiorem viam eligentes, coniurant in tyranni necem: atque ita Aristotimus, quinto postquam tyrannidem occupauerat mense opprimitur.

CAP. II. Interea Antigonus cum multiplici bello, & Ptolemaei regis, & Spartanorum, premeretur: nouusque illi hostis Gallograeciae exercitus affluxisset; in speciem castrorum parua manu aduersus ceteros relicta, aduersus Gallos totis viribus proficiscitur. Quibus cognitis, Galli cum & ipsi se praelio pararent, in auspicia pugnae hostias caedunt: quarum extis cum magna caedes, interitusque omnium praediceretur, non in timorem, sed in furorem versi, sperantesque deorum minas expiari caede suorum posse; coniuges & liberos suos tru-

trucidant, auſpicia belli a parricidio incipientes. Tanta rabies feros animos inuaſerat, ut non parcerent aetati, cui etiam hoſtes pepercisſent, bellumque internecinum cum liberis, liberorumque matribus gererent, pro quibus bella ſuſcipi ſolent. Itaque quaſi ſcelere vitam victoriamque redemiſſent, ſicut erant cruenti ex recenti ſuorum caede, in praelium non meliore euentu, quam omine proficiſcuntur. Siquidem pugnantes, prius parricidiorum furiae, quam hoſtes circumuenere; obverſantibusque ante oculos manibus interemtorum, omnes occidione caeſi. Tanta ſtrages fuit, vt pariter cum hominibus dii conſenſiſſe in exitium parricidarum viderentur. Poſt huius pugnae euentum, Ptolemaeus & Spartani, victorem hoſtium exercitum declinantes, in tutiora ſe recipiunt. Antigonus quoque vbi eorum diſceſſum videt, recenti adhuc ex priori victoria militum ardore, bellum Athenienſibus infert. In quo cum occupatus eſſet, interim Alexander rex Epiri vlciſci mortem patris Pyrrhi cupiens, fines Macedoniae depopulatur. Aduerſus quem cum reuerſus a Graecia Antigonus eſſet, tranſitione militum deſtitutus, regnum Macedoniae cum exercitu amittit: Huius filius Demetrius puer admodum, abſente patre, reparato exercitu, non ſolum amiſſam Macedoniam recipit: verum etiam Epiri regno Alexandrum ſpoliat. Tanta vel mobilitas militum, vel fortunae varietas erat, vt viciſſim reges, nunc exſules, nunc reges viderentur.

CAP.

CAP. III. Igitur Alexander cum exsul ad Acarnanas confugisset, non minore Epirotarum desiderio, quam sociorum auxilio, in regnum restituitur. Per idem tempus rex Cyrenarum Agas decedit: qui ante infirmitatem, Beronicen vnicam filiam, ad finienda cum Ptolemaeo fratre certamina, filio eius desponderat. Sed post mortem regis, mater virginis Arsinoë, vt inuita se contractum matrimonium solueretur, misit, qui ad nuptias virginis, regnumque Cyrenarum, Demetrium fratrem regis Antigoni a Macedonia arcesserent: qui & ipse ex filia Ptolemaei procreatus erat. Sed nec Demetrius moram fecit. Itaque cum secundante vento celeriter Cyrenas aduolasset, fiducia pulchritudinis, qua nimis placere socrui coeperat, statim a principio superbus, regiae familiae, militibusque impotens erat; studiumque placendi a virgine in matrem contulerat. Quae res suspecta primo virgini, dein popularibus militibusque inuisa fuit. Itaque versis omnium animis in Ptolemaei filium, insidiae Demetrio comparantur: cui cum in lectum socrus concessisset, percussores immittuntur. Sed Arsinoë audita voce filiae, ad fores stantis; & praecipientis vt matri parceretu, adulterum paulisper corpore suo protexit. Quo interfecto, Beronice, & stupra matris, salua pietate, vlta est: & in matrimonio sortiendo, iudicium patris secuta.

LIBER

LIBER XXVII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Seleucus Nouercam & fratrem infantem interficit.*
2. *Classe naufragio amissa, ciuitates amissas recipit, praelio victus aufugit: auxilium noxium a fratre Antiocho Hierace petit & impetrat.*
3. *Asiae lacerus status. In Antiochum Hieracem & Seleucum Numinis vindicta.*

CAP. I.

Mortuo Syriae rege Antiocho, cum in locum eius filius Seleucus succeſſiſſet, hortante matre Laodice, quae prohibere debuerat, auſpicia regni a parricidio cœpit. Quippe Beronicen nouercam ſuam, ſororem Ptolemaei regis Aegypti, cum paruulo fratre ex ea ſuſcepto interficit. Quo facinore perpetrato, & infamiae maculam ſubiit, & Ptolemaei bello ſe implicuit. Porro Beronice cum ad ſe interficiendam miſſos didiciſſet, Daphnae ſe claudit. Vbi cum obſideri eam cum paruulo filio nuntiatum Aſiae ciuitatibus eſſet, recordatione pa-

paternae, maiorumque eius, dignitatis, casum tam indignae fortunae miserantes, auxilia ei omnes misere. Frater quoque Ptolemaeus periculo sororis exterritus, relicto regno, cum omnibus viribus advolat. Sed Beronice ante aduentum auxiliorum, cum vi expugnari non posset, dolo circumuenta trucidatur. Indigna res omnibus visa. Itaque cum vniuersae ciuitates, quae defecerant, ingentem classem comparassent, repente exemplo crudelitatis exterritae, simul & in vltionem eius, quam defensuri erant, Ptolemaeo se tradunt: qui nisi in Aegyptum domestica seditione reuocatus esset, totum regnum Seleuci occupasset: tantum vel illi odium parricidiale scelus, vel huic fauorem indigne peremtae mors sororis, attulerat.

CAP. II. Post discessum Ptolemaei Seleucus cum aduersus ciuitates, quae defecerant, ingentem classem comparasset, repente veluti diis ipsis parricidium vindicantibus, orta tempestate classem naufragio amittit; nec quicquam illi ex tanto apparatu, praeter nudum corpus, & spiritum, & paucos naufragii comites residuos fortuna fecit. Misera quidem res, sed optanda Seleuco fuit: siquidem ciuitates, quae odio eius ad Ptolemaeum transierant, velut diis arbitris satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragii misericordiam versae, imperio se eius restituunt. Laetus igitur malis suis, & damnis ditior redditus; veluti par viribus, bellum Ptolemaeo infert: Sed quasi

quasi ad ludibrium tantum fortunae natus esset, nec propter aliud opes regni recepisset, quam vt amitteret, victus praelio non multo quam post naufragium comitatior, trepidus Antiochiam confugit. Inde ad Antiochum fratrem litteras facit: quibus auxilium eius implorat, oblata ei Asia, inter fines Tauri montis, in praemium latae opis. Antiochus autem cum esset annos XIV natus, supra aetatem regni auidus, occasionem non tam pio animo, quam offerebatur, arripuit: sed latronis more, totum fratri eripere cupiens, puer sceleratam virilemque sumit audaciam. Vnde Hierax est cognominatus: quia non hominis, sed accipitris ritu, in alienis eripiendis vitam sectaretur. Interea Ptolemaeus cum Antiochum in auxilium Seleuco venire cognouisset, ne cum duobus vno tempore dimicaret, in annos decem cum Seleuco pacem facit: sed pax ab hoste data interpellatur a fratre; qui conducto Gallorum mercenario exercitu, pro auxilio bellum, pro fratre hostem, imploratus exhibuit. In eo praelio virtute Gallorum victor quidem Antiochus fuit: sed Galli arbitrantes Seleucum in praelio cecidisse, in ipsum Antiochum arma vertere: liberius depopulaturi Asiam, si omnem stirpem regiam exstinxissent. Quod vbi sensit Antiochus, velut a praedonibus, auro se redimit, societatemque cum mercenariis suis iungit.

CAP.

CAP. III. Interea rex Bithyniae Eumenes, ſparſis conſumtisque fratribus bello inteſtinae diſcordiae, quaſi vacantem Aſiae poſſeſſionem invaſurus, victorem Antiochum, Gallosque aggreditur. Nec difficile ſaucios adhuc ex ſuperiore congreſſione, integer ipſe viribus, ſuperat. Ea namque tempeſtate omnia bella in exitium Aſiae gerebantur: vti quisque fortior fuiſſet, Aſiam velut praedam occupabat. Seleucus & Antiochus fratres bellum propter Aſiam gerebant: Ptolemaeus rex Aegypti, ſub ſpecie ſororiae vltionis, Aſiae inhiabat. Hinc Bithynus Eumenes, inde Galli (humiliorum ſemper mercenaria manus) Aſiam depopulabantur: cum interea nemo defenſor Aſiae inter tot praedones inueniebatur. Victo Antiocho, cum Eumenes maiorem partem Aſiae occupaſſet, ne tunc quidem fratres, perdito praemio, propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt: ſed omiſſo externo hoſte, in mutuum exitium bellum reparant. In eo Antiochus denuo victus, multorum dierum fuga fatigatus, tandem ad ſocerum ſuum Artamenem regem Cappadociae pronehitur. A quo cum primum benigne exceptus eſſet, interiectis diebus, cognito quod inſidiae ſibi pararentur, ſalutem fuga quaeſiuit. Igitur cum profugo nusquam tutus locus eſſet, ad Ptolemaeum hoſtem, cuius fidem tutiorem quam fratris exiſtimabat, decurrit; memor vel quae facturus fratri eſſet, vel quae meruiſſet a fratre. Sed Ptolemaeus non amici debito, quam hoſtis factus, ſervari

vari eum arctissima custodia iubet. Hinc quoque Antiochus, opera cuiusdam meretricis adiutus, quam familiarius nouerat, deceptis custodibus elabitur; fugiensque a latronibus interficitur. Seleucus quoque iisdem ferme diebus, amisso regno, equo praecipitatus, finitur. Sic fratres, quasi & germanis casibus, exsules ambo, post regna, scelerum suorum poenas luerunt.

LIBER XXIIX.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Olympias Alexandri Epirotae vidua Demetrio Macedoni Ptiam filiam dat vxorem; vnde tragoedia & bellorum initia.*
2. *Aetoli superbe respondent Romanis, qui Acarnanis auxilium praebebant, & arma mouent intrepide.*
3. *Filiis duobus morbo sublatis Olympias non diu superuiuit: Laodamia filia interfecta: Epirus grauiter affligitur. Demetrius Macedo moritur. Huius filii Philippi Antigonus tutelam suscipit, quam prudenter administrat.*

4. Bel-

4. *Bellum Antigoni aduersus Spartanos: quorum Rex Cleomenes viribus attritis in Aegyptum profugit, vbi interficitur. Antigono mortuo, Philippus regnat.*

CAP. I.

Olympias Pyrrhi Epirotae regis filia, amisso marito, eodemque germano fratre, Alexandro, cum tutelam filiorum ex eo susceptorum, Pyrrhi & Ptolemaei, regnique administrationem in se recepisset, ab Aetolis, partem Acarnaniae, quam in portionem belli pater pupillorum acceperat, eripere volentibus, ad regem Macedoniae Demetrium decurrit; eique, habenti vxorem Antiochi regis Syriae sororem, filiam suam Ptiam in matrimonium tradit: vt auxilium quod misericordia non poterat, iure cognationis obtineret. Fiunt igitur nuptiae, quibus & noui matrimonii gratia acquiritur, & veteris offensa contrahitur. Nam prior vxor velut matrimonio pulsa, sponte sua ad fratrem Antiochum discedit; eumque in mariti bellum impellit. Acarnanes quoque diffisi Epirotis, aduersus Aetolos auxilium Romanorum implorantes, obtinuerunt a Romano senatu, vt legati mitterentur, qui denuntiarent Aetolis, praesidia ab vrbibus Acarnaniae deducerent; paterenturque esse liberos, qui soli quondam aduersus Troianos, auctores originis suae, auxilia Graecis non miserint.

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0269
DFG

CAP. II. Sed Aetoli legationem Romanorum superbe audiuere: Pœnos illis & Gallos, a quibus tot bellis occidione caesi sint, exprobrantes dicentesque, prius illis portas aduersus Carthaginienses aperiendas, quas clauserit metus Punici belli, quam in Graeciam arma transferenda. Meminisse deinde iubent, qui quibus minentur. Aduersus Gallos vrbem eos suam tueri non potuisse; captamque non ferro defendisse, sed auro redemisse: Quam gentem se aliquanto maiore manu Graeciam ingressam, non solum nullis externis viribus, sed ne domesticis quidem totis adiutos, vniuersam delesse; sedemque sepulcris eorum praebuisse, quam illi vrbibus, imperioque suo proposuerant. Contra, Italiam, trepidis ex recenti vrbis suae incendio Romanis, vniuersam ferme a Gallis occupatam. Prius igitur illis Gallos Italia pellendos, quam minentur Aetolis: priusquae sua defendenda. Quos autem homines Romanos esse? nempe pastores, qui latrocinio iustis dominis ademtum solum teneant: qui vxores cum propter originis dehonestamenta non inuenirent, vi publica rapuerint; qui denique vrbem ipsam parricidio condiderint; murorumque fundamenta fraterno sanguine adsperserint. Aetolos autem principes Graeciae semper fuisse; & sicut dignitate, ita & virtute ceteris praestitisse; solos denique esse, qui Macedonas, imperio terrarum florentes, semper contemserint, qui Philippum regem non timuerint: qui Alexandri Magni post Persas Indosque de-

deuictos, cum omnes nomen eius horrerent, edicta spreuerint. Monere igitur se Romanos, contenti sint fortuna praesenti, nec prouocent arma, quibus & Gallos caesos, & Macedonas contemtos videant. Sic dimissa legatione Romanorum, ne fortius locuti, quam fecisse viderentur, fines Epiri regni & Acarnaniae depopulantur.

CAP. III. Iam Olympias filiis regna tradiderat; & in locum Pyrrhi fratris defuncti Ptolemaeus successerat: qui cum hostibus instructo exercitu obuius processisset, infirmitate correptus, in itinere decedit. Olympias quoque non magno post tempore, gemino funerum vulnere afflicta, aegrum spiritum trahens, non diu filiis superuixit. Cum ex gente regia sola Nereis virgo cum Laodamia sorore supersset, Nereis nubit Geloni Siciliae regis filio: Laodamia autem cum in aram Dianae confugisset, concursu populi interficitur. Quod facinus dii immortales assiduis cladibus gentis, & prope interitu totius populi vindicauerunt. Nam sterilitatem, famemque passi, & intestina discordia vexati, externis ad postremum bellis pene consumti sunt: Miloque Laodamiae percussor in furorem versus,* nunc saxo, in summa dentibus laceratis visceribus, duodecima die interiit. His in Epiro gestis, interim in Macedonia Demetrius rex, relicto filio Philippo, paruulo admodum, decedit. Cui Antigonus tutor datus, accepta in matrimonium matre pupilli, regem se constitui labo-

* alii inserunt, nunc ferro.

rabat. Interiecto deinde tempore, cum seditione minaci Macedonum, clausus in regia teneretur, in publicum sine satellitibus procedit; proiectoque in vulgus diademate ac purpura, dare haec eos alteri iubet, qui aut imperare illis nesciat, aut cui parere ipsi sciant: se adhuc inuidiosum illud regnum, non voluptatibus, sed laboribus ac periculis sentire. Commemorat deinde beneficia sua: vt defectionem sociorum vindicauerit: vt Dardanos, Thessalosque exsultantes morte Demetrii regis compescuerit: vt denique dignitatem Macedonum non solum defenderit, verum etiam auxerit: Quorum si illos poeniteat, deponere imperium, & reddere illis munus suum; ipsi regem quaerant, cui imperent. Cum populus pudore motus, recipere eum regnum iuberet, tamdiu recusauit, quoad seditionis auctores supplicio traderentur.

CAP. IV. Post haec bellum Spartanis infert: qui soli Philippi Alexandrique bellis, & imperium Macedonum, & omnibus metuenda arma contemserant. Inter duas nobilissimas gentes bellum summis vtrimque viribus fuit: cum hi pro vetere Macedonum gloria, illi non solum pro illibata libertate, sed etiam pro salute certarent. Victi Lacedaemonii, non ipsi tantum, sed etiam conjuges liberique, magno animo fortunam tulere. Nemo quippe in acie saluti pepercit: nulla amissum coniugem fleuit: filiorum mortem senes

nes laudabant: patribus in acie caesis filii gratulabantur: suam vicem omnes dolebant, quod non ipsi pro patriae libertate cecidissent. Patentibus omnes domibus saucios excipiebant, vulnera curabant, lassos reficiebant. Inter haec nullus in vrbe strepitus, nulla trepidatio; magisque omnes publicam, quam priuatam fortunam lugebant. Inter haec Cleomenes rex post multas hostium caedes, toto corpore, suo pariter & hostium cruore madens, superuenit; ingressusque vrbem, non humi consedit, non cibum aut potum popposcit; non denique armorum onus deposuit: sed acclinis parieti, cum quatuor millia sola ex pugna superfuisse conspexisset, hortatur, vt se ad meliora reipublicae tempora reseruarent. Tum cum coniuge & liberis Aegyptum ad Ptolemaeum proficiscitur: a quo honorifice susceptus diu in summa dignatione regis vixit. Postremo post Ptolemaei mortem a filio eius cum omni familia interficitur. Antigonus autem, caesis occidione Spartanis, fortunam tantae vrbis miseratus, a direptione milites prohibuit; veniamque his, qui superfuerant, dedit, praefatus, bellum se cum Cleomene, non cum Spartanis habuisse, cuius fuga omnis ira eius finita sit: nec minori sibi gloriae fore, si ab eo seruata Lacedaemon, a quo sola capta sit, proderetur. Parcere igitur se solo vrbis ac tectis, quoniam homines, quibus parceret, non superfuissent. Nec multo post ipse decedit, regnumque Philippo pupillo, annos XIV. nato, tradidit.

LIBER XXIX.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Orbis multa imperia noua Regum successione mutantur, nominatim in Africa, Aegypto, Macedonia.*
2. *Philippus Rex Macedoniae, malo consilio impulsus, Romanis bellum inferre constituit.*
3. *Insanam hanc mentem speciosis verbis occultat.*
4. *Tandem apertus hostis apparet: vnde cruentum bellum, ipsi Philippo perniciosum simul ac ignominiosum.*

CAP. I.

Iisdem ferme temporibus prope vniuersi orbis imperia, noua regum successione mutata sunt. Nam & in Macedonia Philippus mortuo Antigono, tutore eodemque vitrico, annorum quatuordecim regnum suscepit: & in Asia interfecto Seleuco, impubes adhuc rex Antiochus constitutus est: Cappadociae quoque regnum Ariarathi, puero admodum, pater ipse tradiderat: Aegyptum, patre ac matre interfectis, occupauerat Ptolemaeus, cui ex facinoris crimine cognomentum Philopator fuit.

fuit. Sed & Spartani in locum Cleomenis suffecerunt Lycurgum. Et ne qua temporibus mutatio deesset, apud Carthaginienses quoque aetate immatura dux Annibal constituitur, non penuria seniorum, sed odio Romanorum, quo imbutum eum a pueritia sciebant. Fatale non tam Romanis, quam ipsi Africae malum. His regibus pueris, etsi nulli senioris aetatis rectores erant, tamen in suorum quisque maiorum vestigia intentis, magna indoles virtutis enituit. Solus Ptolemaeus, sicut sceleſtus in occupando regno, ita & segnis in administrando fuit. Philippum Dardani, ceterique omnes finitimi populi, quibus velut immortale odium cum Macedonum regibus erat, contemtu aetatis assidue lacessebant. Contra ille summotis hostibus, non contentus sua defendisse, vltro etiam Aetolis bellum inferre gestiebat.

CAP. II. Quae agitantem illum Demetrius rex Illyriorum, nuper a Paulo Rom. consule victus, supplicibus precibus aggreditur, iniuriam Romanorum querens: qui non contenti Italiae terminis, imperium spe improba totius orbis amplexi, bellum cum omnibus regibus gerant. Sic illos Siciliae, sic Sardiniae, Hispaniaeque, sic denique totius Africae imperium affectantes, bellum cum Poenis & Annibale susceptisse: sibi quoque non aliam ob causam, quam quod Italiae finitimus videbatur, bellum illatum: quasi nefas esset, aliquem regem iuxta imperii eorum terminos esse.

Sed & ipsi cauendum esse exemplum, cuius quanto promtius nobiliusque sit regnum, tanto sit Romanos acriores hostes habiturus. Super haec cedere se illi regno, quod Romani occupauerint, profitetur; gratius habiturus, si in possessione imperii sui, socium potius quam hostes videret. Huiusmodi oratione impulit Philippum, vt omissis Aetolis bellum Romanis inferret, minus negotii existimantem, quod iam victos ab Annibale apud Thrasymenum lacum audierat. Itaque ne eodem tempore multis bellis detineretur, pacem cum Aetolis facit; non quasi alio bellum translaturus, sed vt Graeciae quieti consulturus, quam nunquam in maiori periculo fuisse affirmabat. Siquidem consurgentibus ab Occidente novis Poenorum & Romanorum imperiis; quibus vna haec a Graecia atque Asia sit mora, dum inter se bello discrimen imperii faciunt: ceterum statim victoribus transitum in Orientem fore.

CAP. III. Videre se itaque ait consurgentem in Italia nubem illam, trucis & cruenti belli: videre tonantem ac fulminantem ab occasu procellam, quam in quascunque terrarum partes victoriae tempestas detulerit, magno cruoris imbre omnia foedaturam. Frequenter Graeciam ingentes motus passam, nunc Persarum, nunc Gallorum, nunc Macedonum bellis: sed omnia illa leuia fuisse existimaturos, si ea, quae nunc in Italia concurrat manus, extra terram illam se effuderit. Cernere se

se, quam cruenta & sanguinaria inter se bella, vtrique populi, viribus copiarum, & ducum artibus, gerant: quae rabies finiri solo partis alterius interitu, sine ruina finitimorum non possit. Feros igitur animos victorum minus quidem Macedoniae, quam Graeciae timendos, quia & remotior, & in vindictam sui robustior sit: scire tamen se, eos, qui tantis viribus concurrant, non contentos hoc fine victoriae fore; metuendumque sibi quoque certamen eorum, qui superiores exstiterint. Hoc praetextu finito cum Aetolis bello, nihil aliud quam Poenorum Romanorumque bella respiciens, singulorum vires perpendebat. Sed nec Romani, tametsi Poeni & Annibal in ceruicibus erant, soluti metu Macedonico videbantur: quippe terrebat eos, & vetus Macedonum deuicti Orientis gloria, & Philippus studio Alexandri aemulationis incensus, quem promtum in bella, industriumque cognouerant.

CAP. IV. Igitur Philippus, cum iterato praelio victos a Poenis Romanos didicisset, aperte hostem se his professus, naues, quibus in Italiam exercitum traiiceret, fabricare coepit. Legatum deinde ad Annibalem, iungendae societatis gratia, cum epistolis mittit: qui comprehensus, & ad senatum perductus, incolumis dimissus est, non in honorem regis, sed ne dubius adhuc, indubitatus hostis redderetur. Postea vero, cum Romanis nuntiatum esset, in Italiam Philippum copias traiectu-

rum, Laeuinum praetorem cum instructis nauibus ad prohibendum transitum mittunt. Qui cum in Graeciam traiecisset, multis promissis impellit Aetolos, bellum aduersus Philippum suscipere. Philippus quoque Achaeos in Romanorum bella sollicitat. Interea & Dardani Macedoniae fines vastare coeperunt, abductisque XX. millibus captiuorum, Philippum a Romano bello ad tuendum regnum reuocauerunt. Dum haec aguntur, Laevinus Praetor, iuncta cum Attalo rege societate, Graeciam populatur. Quibus cladibus perculsae ciuitates, auxilium petentes, Philippum legationibus fatigant: nec non & Illyriorum reges, lateri eius haerentes, assiduis precibus promissa exigebant. Super haec vastati Macedones, vltionem flagitabant. Quibus tot tantisque rebus obsessus, cui rei primum occurreret, ambigebat: omnibus tamen propediem auxilia se missurum pollicetur; non quia facere posset, quae promittebat; sed vt, spe impletos, in societatis iure retineret. Prima tamen illi expeditio aduersus Dardanos fuit: qui absentiam eius aucupantes, maiore belli mole Macedoniae imminebant. Cum Romanis quoque pacem facit, contentis interim bellum Macedonicum distulisse: Philopoemeni Achaeorum duci, quem ad Romanos, sociorum animos sollicitare didicerat, insidias praetendit. Quibus ille cognitis vitatisque, discedere ab eo Achaeos auctoritate sua coëgit.

LIBER

LIBER XXX.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Ptolemaei Regis Aegyptii luxuria, vecordia, & parricidia.*
2. *Miserrimus Aegypti status sub turpissimo Principe, cuius meretrix & lenones crudeli fato pereunt.*
3. *Mortuo Ptolemaeo, Romani tutelam pupilli aduersus Antiochum Syrum, & Philippum Macedonem suscipiunt: Philippumque prius bello reducunt ad humiliorem mentem.*
4. *Terrae motus ingentes. Romani pacem repudiant. Philippus & Flamininus suos ad pugnam accendunt. Macedonas Romana fortuna vincit, & Philippus spoliatur.*

CAP. I.

Philippo in Macedonia magnis rebus intento, in Aegypto Ptolemaei diuersi mores erant. Quippe regno parricidio parto, & ad necem vtriusque parentis, caede etiam fratris adiuncta, velut rebus feliciter gestis, luxuriae se tradiderat, Regisque

mores omnis secuta regia erat. Itaque non amici tantum praefectique, verum etiam omnis exercitus, depositis militiae studiis, otio ac desidia corrupti marcebant. Quibus rebus cognitis, Antiochus rex Syriae, veteri inter se regnorum odio stimulante, repentino bello multas vrbes eius oppressit, ipsamque Aegyptum aggreditur. Trepidare igitur Ptolemaeus; legationibus missis, quoad vires pararet, morari Antiochum. Magno deinde in Graecia exercitu conducto, secundum praelium facit: spoliassetque regno Antiochum, si fortunam virtute iuuisset. Sed contentus reciperatione vrbium, quas amiserat, facta pace, auide materiam quietis arripuit reuolutusque in luxuriam, occisa Eruydice vxore eademque sorore sua, Agathocliae meretricis illecebris capitur. Atque ita omnem magnitudinem nominis ac maiestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conuiuiis consumit. Adduntur instrumenta luxuriae, tympana & crepundia: nec iam spectator rex, sed magister nequitiae, neruorum oblectamenta modulatur. Haec primo laborantis regis tacitae pestes, & occultae fuere.

CAP. II. Deinde crescente licentia, iam nec parietibus regiae domus contineri meretricis audacia potest: quam proteruiorem, sociata cum Agathocle fratre, ambitiosae pulchritudinis scorto, quotidiana regis stupra faciebant. Accedebat & mater Oenanthe, quae geminae subolis illecebris de-

deuinctum regem tenebat. Itaque non contentae rege, iam etiam regnum possident, iam in publico visuntur, iam salutantur, iam comitantur. Agathocles regis lateri iunctus, ciuitatem regebat; tribunatus, praefecturas, & ducatus mulieres ordinabant; nec quisquam in regno suo minus, quam ipse rex poterat, cum interim, relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio, moritur: sed mors eius, dum pecuniam regiam mulieres rapiunt, & imperium inita cum perditissimis societate occupare conantur, diu occultata fuit. Re tamen cognita, concursu multitudinis, & Agathocles occiditur, & mulieres in vltionem Eurydicis patibulis suffiguntur. Morte regis, supplicio meretricum velut expiata regni infamia, legatos Alexandrini ad Romanos miserè, orantes, vt tutelam pupilli susciperent; tuerenturque regnum Aegypti, quod iam Philippum & Antiochum, facta inter se pactione, diuisisse dicebant.

CAP. III. Grata legatio Romanis fuit, causam belli aduersus Philippum quaerentibus, qui insidiatus eis, temporibus Punici belli fuerat. Huc accedebat, quod Poenis & Annibale superato, nullius magis arma metuebant, reputantibus, quantum motum Pyrrhus parua manu Macedonum in Italia fecisset, quantasque res Macedones in Oriente gessissent. Mittuntur itaque legati, qui Antiocho & Philipo denuncient, regno Aegypti abstineant. Mittitur & M. Lepidus in Aegyptum, qui tu-

tutorio nomine regnum pupilli administret. Dum haec aguntur, interim legationes Attali regis, & Rhodiorum, iniurias Philippi querentes, Romam venerunt. Quae res omnem cunctationem Macedonici belli senatui exemit. Statim igitur, titulo ferendi sociis auxilii, bellum aduersus Philippum decernitur, legionesque cum consule in Macedoniam mittuntur. Nec multo post tempore, tota Graecia, fiducia Romanorum, aduersus Philippum, spe pristinae libertatis erecta, bellum ei intulit: Atque ita cum rex vndique vrgeretur, paeem petere compellitur. Deinde cum expositae conditiones pacis a Romanis essent, repetere sua, & Attalus, & Rhodii, & Achaei, & Aetoli coepere. Contra Philippus adduci se posse, vt Romanis pareat, concedebat; ceterum indignum esse, Graecos a Philippo & Alexandro maioribus suis victos, & sub iugum Macedonici imperii subactos, veluti victores, leges pacis sibi dicere, quibus prius sit seruitutis ratio reddenda, quam libertas vindicanda. Ad postremum tamen, petente eo, induciae duorum mensium datae, vt pax, quae in Macedonia non conueniebat, Romae a senatu peteretur.

CAP. IV. Eodem anno inter insulas Theramenem & Therasiam, medio vtriusque ripae & maris spatio, terrae motus fuit. In quo, cum admiratione nauigantium, repente ex profundo cum calidis aquis insula emersit. In Asia quoque eadem

dem die idem motus terrae Rhodum, multasque alias ciuitates graui ruinarum labe concussit; quasdam solidas absorbuit. Quo prodigio territis omnibus, vates cecinere, oriens Romanorum imperium, vetus Graecorum, ac Macedonum voraturum. Interim a senatu repudiata pace, Philippus in societatem belli Nabin tyrannum sollicitat. Atque ita, cum in aciem exercitum instructis e diuerso hostibus produxisset, hortari suos coepit, referendo Persas, Bactros, Indosque, & omnem Asiam, Orientis finem, a Macedonibus perdomitam; tantoque fortius hoc bellum quam illa sustinendum, quanto sit libertas imperio carior. Sed & Flamininus Romanus consul, relatione rerum recentissime gestarum, suos stimulabat in proelium, ostendendo hinc Carthaginem cum Sicilia, inde Italiam & Hispaniam Romana virtute perdomitas: nec Annibalem quidem Alexandro Magno postponendum, quo Italia pulso Africam ipsam tertiam partem mundi superauerint. Sed nec Macedonas veteri fama, sed praesentibus viribus aestimandos: quia non cum Alexandro Magno, quem inuictum audierant, nec cum exercitu eius, qui totum Orientem deuicerat, bellum gerant; sed cum Philippo puero immaturae aetatis; qui regni terminos aduersus finitimos aegre defendat, & cum his Macedonibus, qui non ita pridem praedae Dardanis fuerunt. Illos maiorum decora, se suorum militum commemorare. Non enim alio exercitu Annibalem & Poenos, & totum ferme Occiden-

tem, sed his ipsis, quos in acie habeat militibus, subactos. His adhortationibus vtrinque concitati milites, proelio concurrunt, alteri Orientis, alteri Occidentis imperio gloriantes; ferentesque in bellum, alii maiorum suorum antiquam & obsoletam gloriam, alii virentem recentibus experimentis virtutis florem Sed Macedonas Romana fortuna vicit. Fractus itaque bello Philippus, pace a Flaminino consule petita, nomen quidem regium retinuit: sed omnibus Graeciae vrbibus, velut regni membris extra terminos antiquae possessionis amissis, solam Macedoniam retinuit. Offensi tamen Aetoli, quod non ex arbitrio eorum Macedonia quoque ademta regi, & data sibi in praemium belli esset, legatos ad Antiochum mittunt, qui eum adulatione magnitudinis in Romana bella, spe societatis vniuersae Graeciae, impellerent.

LIBER XXXI.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Romani Antiochum Syrum legatione coercent. A Nabide Graeciam liberari iubent. Annibalis nomen Romanis formidabile.*
2. *Annibal Romanorum insidias fugiens ad Antiochum cursum dirigit.*

3. NA-

3. *Nabis duobus proeliis fractus, post Romanorum discessum arma mouet. Annibalis ad Antiochum de opprimendis Romanis consilium.*
4. *Carthaginienses ab Antiocho sollicitati rem Romanis significant, qui politico strategemate Annibalem ab Antiocho diuellunt.*
5. *Iteratum Annibalis consilium de bello in Italia Romanis inferendo.*
6. *Antiochi adulatores Annibalis sana consilia rident; inde subuersio Antiochi, qui terrestri & nauali proelio a Romanis superatur.*
7. *Scipiones ducto in Africam exercitu pacis leges Antiocho praescribunt, quas ipse repudiat.*
8. *Bello reparato & pugna commissa, caesis quinquaginta Asiaticorum millibus, Antiochus subactus pacem petit & obtinet.*

CAP. I.

Mortuo Ptolemaeo Philopatore rege Aegypti, contemtaque paruuli filii eius aetate, qui in spem regni relictus, praeda etiam domesticis erat, Antiochus rex Syriae occupare Aegyptum statuit. Itaque Phoenicen, ceterasque Syriae quidem, sed iuris Aegypti ciuitates cum inuasisset, legatos ad eum Senatus mittit, qui denunciarent ei, abstineret regno pupilli, postremis patris precibus fidei suae traditi. Quibus spretis, interiecto tempore alia

alia legatio supernenit, quae omissa pupilli persona, ciuitates, iure belli factas populi Romani, in integrum restitui iubebat. Abnuenti, bellum denuntiatum: quod ille facile susceptum, infeliciter gessit. Eodem tempore & Nabis tyrannus multas Graeciae ciuitates occupauerat. Igitur senatus, ne vno tempore duplici bello Romanae vires detinerentur, scripsit Flaminino, si ei videatur, sicuti Macedoniam a Philippo, ita Graeciam a Nabide liberet. Ob quam caussam imperium ei prorogatum est. Terribile quippe Antiochi bellum Annibalis nomen faciebat, quem aemuli eius, occultis mandatis, cum Antiocho inisse societatem, apud Romanos criminabantur: negantes, eum aequo animo sub legibus viuere; assuetum imperio, & immoderata licentia militari, semperque taedio quietis vrbanae, nouas belli caussas circumspicere: Quae etsi falsa nuntiata fuissent, apud timentes tamen pro veris habebantur.

CAP. II. Denique senatus metu perculsus ad speculandos actus Annibalis, legatum in Africam Gnaeum Seruilium mittit: eique tacitis mandatis praecipit, si posset, eum per aemulos eius interficeret, metuque inuisi nominis tandem populum Romanum liberaret. Sed res Annibalem non diu latuit, virum ad prospicienda cauendaque pericula peritum; nec minus in secundis aduersa, quam in aduersis secunda cogitantem. Igitur cum tota die in oculis principum, legatique Romani, in foro

ro Carthaginiensium, obuersatus in supremum fuisset, appropinquante vespere equum conscendit; & rus vrbanum, quod propter litus maris habebat, ignaris servis, iussisque ad portam reuertentem opperiri, contendit. Habebat ibi naues cum remigibus, occulto sinu litoris absconditas: erat & grandis pecunia in eo agro praeparata, ut cum res exegisset, nec facultas fugam, nec inopia moraretur. Lecta igitur seruorum iuuentute, quorum copiam Italicorum captiuorum numerus augebat, nauem conscendit, cursumque ad Antiochum dirigit. Postera die ciuitas principem suum ac tum temporis consulem, in foro exspectabat. Quem ut profectum nuntiatum est, non aliter quam si vrbs capta esset, omnes trepidauere, exitiosamque sibi fugam eius ominati sunt. Legatus vero Romanus, quasi bellum iam illatum Italiae ab Annibale esset, tacitus Romam regreditur, trepidumque nuntium refert.

CAP. III. Interim in Graecia Flamininus, iuncta cum quibusdam ciuitatibus societate, Nabidem tyrannum duobus continuis proeliis subegit; & grauiter fractum, velut exsanguem, in regno reliquit. Sed libertate Graeciae restituta, deductisque ab vrbibus praesidiis, cum Romanus exercitus in Italiam reportatus esset, velut vacua rursus possessione sollicitatus, multas ciuitates repentino bello inuasit. Quibus rebus exterriti Achaei, ne vicinum malum etiam ad se serperet, bellum

bellum aduersus Nabidem decernunt, ducemque praetorem suum Philopoemenem, insignis industriae virum, constituunt: cuius in eo bello tanta virtus enituit, vt opinione omnium Flaminino Romano Imperatori compararetur. Eodem tempore Annibal cum ad Antiochum peruenisset, velut deorum munus excipitur: tantusque eius aduentu ardor animis regis accessit, vt non tam de bello, quam de praemiis victoriae cogitaret. Sed Annibal, cui nota Romana virtus erat, negabat opprimi Romanos nisi in Italia posse. Ad hoc sibi centum naues, & decem millia peditum, & mille equites poscebat: promittens, hac manu non minus bellum, quam gesserit, Italiae restauraturum; & in Asiam regi sedenti, aut victoriam de Romanis, aut aequas pacis conditiones relaturum: quippe & Hispanis bello flagrantibus, ducem tantum deesse; & Italiam notiorem sibi nunc, quam pridem fuisse: sed nec Carthaginem quieturam, sociamque se ei sine mora praebituram.

CAP. IV. Cum regi consilia placuissent, mittitur Carthaginem unus ex comitibus Annibalis, qui in bellum cupidos hortetur, Annibalemque cum copiis affuturum nuntiet: nihil, dicat, partibus, nisi animos Carthaginiensium deesse; Asiam & vires belli, & sumtum praebituram. Haec cum relata Carthaginem essent, nuntius ipse ab inimicis Annibalis comprehenditur, & perductus in senatum, cum interrogaretur, ad quem missus esset,

Puni-

Punico ingenio respondit, se ad vniuersum senatum missum, nec enim hoc opus singulorum, sed vniuersorum esse. Dum multis diebus deliberant, an eum Romam ad purgandam publicam conscientiam mittant, tacitus conscensa naue ad Annibalem reuertitur: quo cognito, Carthaginienses vltro rem Romam per legatum deferunt. Romani quoque ad Antiochum legatos misere; qui sub specie legationis, & regis apparatum specularentur, & Annibalem aut Romanis mitigarent, aut assiduo colloquio suspectum inuisumque regi redderent. Itaque legati cum Ephesi conuenissent ad Antiochum, mandata ei senatus tradunt. Dum responsum exspectant, omnibus diebus assidui circa Annibalem fuere: dicentes, timide eum a patria recessisse, cum pacem Romani, non tam cum republica eius, quam cum eo factam, summa fide custodiant: nec bella eum Romanorum magis odio, quam Patriae amore gessisse, cui ab optimo quoque etiam spiritus ipse debeatur. Has enim publicas inter populos, non priuatas inter duces, bellandi causas esse. Inde res gestas eius laudare. Quorum sermone laetus, saepius cupidiusque cum legatis colloquebatur, ignarus, quod familiaritate Romana odium sibi apud regem crearet. Quippe Antiochus tam assiduo colloquio, reconciliatam eius cum Romanis gratiam existimans, nihil ad eum sicuti solebat referre; expertemque totius consilii, veluti hostem proditoremque suum, odisse coepit. Quae res tantum apparatum belli, cessante

sante imperatoria arte, corrupit. Senatus mandata fuerant, vt contentus terminis Asiae esset, ne ipsis ingrediendi Asiam necessitatem imponeret. Quibus spretis, non accipiendum bellum statuit, sed inferendum.

CAP. V. Dicitur, quum frequenter de bello consilium habuisset, remoto Annibale, tandem eum vocari iussisse, non vt ex sententia eius aliquid ageret, sed ne per omnia eum spreuisse videretur; omnibusque perrogatis postremum interrogasse. Quo ille animadverso, intelligere se professus est, non quia egeat consilio, sed ad supplendum numerum sententiarum se vocatum: tamen & odio Romanorum, & amore regis, apud quem solum tutum sibi exsilium relictum sit, se viam gerendi belli edisserturum. Veniam deinde libertati praefatus, nihil se aut consiliorum, aut coeptorum praesentium, probare ait: neque sedem belli Graeciam sibi placere, cum Italia vberior materia sit: quippe Romanos vinci non nisi armis suis posse; nec Italiam aliter, quam Italicis viribus subigi: siquidem diuersum ceteris mortalibus esse illud & hominum & belli genus. Aliis bellis plurimum momenti habere, priorem aliquam cepisse occasionem loci temporisque, agros diripuisse, vrbes aliquas expugnasse: cum Romano, seu occupaueris prior aliqua, seu viceris, tum etiam eum victo & iacente luctandum esse. Quamobrem si quis eos in Italia lacessat, suis eos opibus, suis viri-

viribus, suis armis posse vincere; sicut ipse fecerit. Sin vero quis illis Italia velut fonte virium cesserit, perinde falli, ac si quis amnes non ab ipsis fontium primordiis deriuare, sed concretis iam aquarum molibus auertere vel exsiccare velit. Haec & secreto se censuisse, vltroque ministerium consilii sui obtulisse; & nunc praesentibus amicis ideo repetisse, ut scirent omnes rationem cum Romanis gerendi belli; eosque foris inuictos, domi fragiles esse. Nam prius illos vrbe quam imperio; prius Italia quam prouinciis exui posse: quippe & a Gallis captos, & a se prope deletos esse: neque se vnquam victum prius, quam terris eorum cesserit. Reuerso Carthaginem, statim cum loco fortunam belli mutatam.

CAP. VI. Huic sententiae obtrectatores amici regis erant: non vtilitatem rei cogitantes; sed verentes, ne probato consilio eius, primum apud regem locum gratiae occuparet. Et Antiocho non tam consilium, quam auctor displicebat, ne gloria victoriae, Annibalis, non sua, esset. Omnia igitur variis assentationum adulationibus corrumpebantur: nihil consilio vel ratione agebatur. Rex ipse per hyemem in luxuriam lapsus, nouis quotidie nuptiis deditus erat. Contra Acilius Romanus consul, qui ad hoc bellum missus erat, copias, arma, ceteraque bello necessaria, summa industria parabat: ciuitates socias confirmabat; dubias illiciebat: nec alius exitus belli, quam apparatus vtrius-

vtriusque partis fuit. Itaque prima belli congressione, cum cedentes suos rex cerneret, non laborantibus auxilium tulit, sed fugientibus se ducem praebuit, castraque ditia victoribus reliquit. Deinde cum in Asiam, praeda Romanis occupatis, fugiendo peruenisset, poenitere neglecti consilii coepit; reuocatoque in amicitiam Annibale, omnia ex sententia eius agere. Interim nuntiatur, Aemilium Romanum ducem, cum octoginta rostratis nauibus in bellum nauale a senatu missum, adventare: quae res illi spem restituendae fortunae dedit. Itaque priusquam sociae ciuitates ad hostes deficerent, decernere nauali proelio statuit, sperans, cladem, in Graecia acceptam, noua posse victoria aboleri. Tradita igitur Annibali classe, proelium committitur: sed nec Asiani milites Romanis, neque naues eorum pares rostratis nauibus fuere: minor tamen clades ducis sollertia fuit. Romam nondum opinio victoriae venerat, & idcirco in consulibus creandis suspensa ciuitas erat.

CAP. VII. Sed aduersus Annibalem ducem quis melior quam Africani frater crearetur, cum vincere Poenos opus Scipionum esset? Creatur igitur Consul Lucius Scipio: eique datur legatus frater Africanus, vt intelligeret Antiochus, non maiorem fiduciam se in Annibale victo, quam Romanos in victore Scipione habere. Traiicientibus in Asiam Scipionibus exercitum, iam vtrobique pro-

profligatum bellum nuntiatum est, victumque Antiochum terrestri, Annibalem nauali bello inuenerunt. Primo igitur aduentu eorum, legatos pacem petentes ad eos Antiochus mittit, peculiare donum Africano ferentes ipsius filium, quem rex paruo nauigio traiicientem ceperat. Sed Africanus priuata beneficia a rebus publicis secreta esse dixit; aliaque esse patris officia, alia patriae iura, quae non liberis tantum, verum etiam vitae ipsi praeponantur. Proinde gratum se munus accipere, priuatoque impendio munificentiae regis respondurum. Quod ad bellum pacemque pertineat, nihil neque gratiae dari, neque de iure patriae decidi posse, respondit. Nam neque de redimendo filio vnquam tractauit, nec senatum de eo agere permisit; sed vt dignum maiestate eius erat, armis se recepturum filium dixerat. Post haec leges pacis dicuntur: vt Asia Romanis cederet: contentus Syriae regno esset: naues vniuersas, captiuos & transfugas traderet; sumtumque omnem belli Romanis restitueret. Quae cum nuntiata Antiocho essent, nondum ita victum se esse respondit, vt spoliari se regno pateretur, bellique ea irritamenta, non pacis blandimenta esse.

CAP. VIII. Igitur cum ab vtrisque bellum pararetur, ingressique Asiam Romani Ilion venissent; mutua gratulatio Ilienſium ac Romanorum fuit. Ilienſibus Aeneam, ceterosque cum eo duces, a se profectos, Romanis se ab his procreatos rese-

referentibus. Tantaque laetitia omnium fuit, quanta esse post longum tempus inter parentes & liberos solet. Iuuabat Ilienses, nepotes suos, Occidente & Africa domita, Asiam vt auitum regnum vindicare, optabilem Troiae ruinam fuisse dicentes, vt tam feliciter renascerentur. Contra Romanos, auitos lares, & incunabula maiorum, templaque ac deorum simulacra, inexplebile desiderium videndi tenebat. Profectis ab Ilio Romanis, Eumenes rex cum auxiliis occurrit: nec multo post proelium cum Antiocho commissum. Cum in dexteriore cornu pulsa legio Romana, maiore dedecore, quam periculo ad castra fugeret, M. Aemilius tribunus militum ad tutelam castrorum relictus, armare se milites suos, & extra vallum progredi iubet, strictisque gladiis fugientibus minari, morituros dicens, nisi in proelium reuertantur; infestioraque sua, quam hostium castra inventuros. Attonita tam ambiguo periculo legio, comitantibus commilitonibus, qui fugere eos prohibuerant, in proelium reuertitur, magnaque caede edita, initium victoriae fuit. Caesa hostium quinquaginta millia, capta XI. Antiocho pacem petenti, nihil ad superiores conditiones additum, Africano praedicante, neque Romanis, si vincantur, animos minui; neque si vincant, secundis rebus insolescere. Captas ciuitates inter socios diuisere Romani, aptiorem gloriam, quam possessiones voluptarias iudicantes, quippe victoriae gloriam Romano nomini vindicandam: opum luxuriam sociis relinquendam.

LIB.

LIBER XXXII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Aetoli libertate spoliantur. Bellum inter Messenios & Achaeos. Philopoemenes captus & veneno interemtus: Vnde Messeniorum clades.*

2. *Antiochus Syrus dum sacrilegio sibi prouidere putat, interficitur. Senatus Romanus Philippo parcit, ob Demetrii filii virtutem. Cui Perseus frater inuidet, & Demetrium impiis artibus de medio tollit.*

3. *Philippi obitus: & belli apparatus aduersus Romanos, Gallis ad huius belli societatem pertractis: de quorum migrationibus subiicitur narratio.*

4. *Bellum inter Prusiam & Eumenem, in quo Annibalis opera Prusias superior euadit. Pace inter Reges sancita, Romani Hannibalem persequuntur. Is hausto veneno legationem morte praeuenit. Adiunctum eiusdem Hannibalis elogium.*

CAP. I.

Aetoli, qui Antiochum in bella Romana impulerant, victo eodem, soli aduersus Romanos, & viribus impares, & omni auxilio destituti remanserunt. Nec multo post victi, libertatem, quam illibatam aduersus dominationem Athenienſium & Spartanorum, inter tot Graeciae ciuitates soli retinuerant, amiserunt. Quae conditio tanto amarior illis, quanto serior fuit, reputantibus tempora illa, quibus tantis Persarum opibus, domesticis viribus restiterant; quibus Gallorum violentiam, Asiae Italiaeque terribilem, Delphico bello fregerant. Quae gloriosa recordatio, magis desiderium libertatis augebat. Dum haec aguntur; medio tempore inter Messenios & Achaeos de principatu primo dissensio, mox bellum ortum est. In ea nobilis Achaeorum Philopoemenes imperator capitur: non quia pugnando vitae pepercerit, sed dum suos in praelium reuocat, in transitu fossae equo praecipitatus, a multitudine hostium oppressus est, quem iacentem Messenii, seu metu virtutis, vel verecundia dignitatis, interficere ausi non fuerunt. Itaque velut in illo omne bellum confeciſſent, captiuum per vniuersam ciuitatem, in modum triumphi, circumduxerunt, effuso obviam populo, ac si suus, non hostium imperator aduentaret. Nec victorem Achaei auidius vidisſent, quam victum hostes viderunt. Igitur eundem in theatrum duci iusserunt, vt omnes contue-

re-

rentur, quem potuisse capi incredibile singulis videbatur. Inde in carcerem ducto verecundia magnitudinis eius, venenum dederunt: quod ille laetus, ac si vicisset, accepit, quaesito prius, an Ligortas praefectus Achaeorum, quem secundum a se esse scientia rei militaris sciebat, incolumis effugisset? Quem vt accepit euasisse, non in totum dicens consultum male Achaeis, exspirauit. Nec multo post, reparato bello, Messenii vincuntur, poenasque interfecti Philopoemenis pependerunt.

CAP. II. Interea in Syria rex Antiochus, cum graui tributo pacis a Romanis victus oneratusque esset, seu inopia pecuniae compulsus, seu auaritia sollicitatus, qua sperabat se, sub specie tributariae necessitatis, excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu, nocte templum Didymaei Iouis aggreditur. Qua re prodita, concursu insularium, cum omni militia interficitur. Romae, cum multae Graeciae ciuitates, questum de iniuriis Philippi Regis Macedonum venissent, & disceptatio in senatu inter Demetrium Philippi filium, quem pater ad satisfaciendum senatui miserat, & legatos ciuitatium esset; turba querelarum confusus adolescens, repente obticuit. Tunc senatus verecundia eius motus, quae probata etiam antea, cum obses Romae esset, omnibus fuerat, caussam illi donauit: atque ita modestia sua Demetrius veniam patri, non iure defensionis, sed patrocinio pudoris obtinuit; quod ipsum decreto senatus si-

gnificatum est, vt appareret, non tam absolutum regem, quam donatum filio patrem. Quae res Demetrio, non gratiam legationis; sed odium obtrectationis comparauit. Nam apud fratrem Perseum aemulatio illi inuidiam contraxit: & apud patrem nota absolutionis, caussa offensae fuit, indignante Philippo, plus momenti apud senatum personam filii, quam auctoritatem patris, ac dignitatem regiae maiestatis habuisse. Igitur Perseus perspecta patris aegritudine, quotidie absentem Demetrium apud eum criminari; & primo inuisum, post etiam suspectum reddere: nunc amicitiam Romanorum, nunc proditionem ei patris obiectare. Ad postremum, insidias sibi ab eo paratas confingit: ad cujus rei probationem immittit indices, testes subornat, & facinus quod obiicit, admittit. Quibus rebus compulso ad parricidium patre, funestam omnem regiam facit.

CAP. III. Occiso Demetrio, sublatoque aemulo, non negligentior tantum Perseus in patrem, verum etiam contumacior erat; nec heredem regni, sed regem se gerebat. His rebus offensus Philippus, impatientius in dies mortem Demetrii dolebat, tunc & insidiis* circumuentum suspicari, testes indicesque torquere. Atque ita cognita fraude, non minus scelere Persei, quam innoxia Demetrii morte cruciabatur; peregisseteque vltionem, nisi morte praeuentus fuisset. Nam breui post tempore, morbo ex aegritudine animi con-

* alii inserunt accusatiuum se.

contracto, deceſſit, relicto magno belli apparatu aduerſus Romanos, quo poſtea Perſeus vſus eſt, nam & Gallos Scordiſcos ad belli ſocietatem perpulerat: feciſſetque Romanis graue bellum, niſi deceſſiſſet. Namque Galli bello aduerſus Delphos infeliciter geſto, in quo maiorem vim numinis, quam hoſtium, ſenſerant, amiſſo Brenno duce, pars in Aſiam, pars in Thraciam extorres fugerant. Inde per eadem veſtigia, qua venerant, antiquam patriam repetiuere. Ex his manus quaedam in confluente Danubii & Sabi conſedit, Scordiſcosque ſe appellari voluit. Tectoſagi autem cum in antiquam patriam Toloſam veniſſent, comprehenſique peſtifera lue eſſent, non prius ſanitatem recuperauere, quam aruſpicum reſponſis moniti, aurum argentumque, bellis ſacrilegiisque quaeſitum, in Toloſenſem lacum mergerent. Quod omne magno poſt tempore Caepio Romanus conſul abſtulit. Fuere autem argenti pondo centum decem millia: auri pondo quinquies decies centum millia. Quod ſacrilegium cauſſa excidii Caepioni exercituique eius poſtea fuit. Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut vltor ſacrae pecuniae, inſecutus eſt. Ex gente Tectoſagorum non mediocris populus, praedae dulcedine, Illyricum repetiuit, ſpoliatisque Iſtris, in Pannonia conſedit. Iſtrorum gentem fama eſt originem a Colchis ducere, miſſos ab Aeta rege ad Argonautas, raptoresque filiae perſequendos: qui vt a Ponto intrauerunt Iſtrum, alueo Sabi fluminis penitus

inuecti, vestigia Argonautarum insequentes, naves suas humeris per iuga montium, vsque ad litus Adriatici maris transtulerunt, cognito quod Argonautae idem propter magnitudinem nauis priores fecissent: quos vt auectos Colchi non reperiunt, siue metu regis, siue taedio longae nauigationis, iuxta Aquileiam consedere, Istrique ex vocabulo amnis, quo a mari concesserant, appellati. Daci quoque suboles Getarum sunt: qui, cum Orole rege aduersus Bastarnas male pugnassent, ad vltionem segnitiae, capturi somnum capita loco pedum ponere iussu regis cogebantur; ministeriaque vxoribus, quae ipsis antea fieri solebant, facere. Neque haec ante mutata sunt, quam ignominiam bello acceptam virtute delerent.

CAP. IV. Igitur Perseus, cum imperio Philippi patris successisset, omnes has gentes aduersus Romanos in societatem belli sollicitabat. Interim inter Prusiam regem, ad quem Annibal post pacem, Antiocho a Romanis datam, perfugerat, & Eumenem bellum ortum est, quod Prusias, Annibalis fiducia rupto foedere, prior intulit. Namque Annibal, cum ab Antiocho Romani, inter ceteras conditiones pacis, deditionem eius deposcerent, admonitus a rege, in fugam versus, Cretam defertur. Ibi cum diu quietam vitam egisset, inuidiosumque se propter nimias opes videret, amphoras plumbo repletas in templo Dianae,

nae, quasi fortunae suae praesidia, deponit: atque ideo nihil de illo sollicita ciuitate, quoniam velut pignus opes eius tenebat, ad Prusiam contendit, auro suo in statuis, quas secum portabat, infuso, ne conspectae opes vitae nocerent. Dein cum Prusias terrestri bello ab Eumene victus esset, & praelium in mare transtulisset, Annibal nouo commento auctor victoriae fuit. Quippe omne serpentium genus in fictiles lagenas conici iussit, medioque proelio in naues hostium *mittit. Id primum Ponticis ridiculum visum, fictilibus dimicare, qui ferro nequeant. Sed vbi serpentibus repleri naues coepere, ancipiti periculo circumventi, hosti victoriam cessere. Quae vbi Romam nuntiata sunt; missi a senatu legati sunt, qui vtrumque regem in pacem cogerent, Annibalemque deposcerent. Sed Annibal re cognita, sumto veneno, legationem morte praeuenit. Insignis hic annus trium toto orbe maximorum imperatorum mortibus fuit, Annibalis, & Philopoemenis, & Scipionis Africani. Ex quibus constat, Annibalem, nec tum cum Romano tonantem bello Italia contremuit, nec cum reuersus Carthaginem summum imperium tenuit, aut cubantem coenasse, aut plus quam sextario vini indulsisse; pudicitiamque eum tantam inter tot captiuas habuisse, vt in Africa natum quiuis negaret. Moderationis certe eius fuit, vt cum diuersarum gentium exercitus rexerit, neque insidiis suorum militum sit petitus

* alii: mitti.

vmquam, neque fraude proditus, quum vtrumque hostes saepe tentassent.

LIBER XXXIII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Macedonicum bellum. Persei & Consulum Romanorum animus.*
2. *Pugna in qua Macedones fusi fugatique sunt. Perseus & filii capti in fuga. Macedonia in prouinciam redacta: & Aetoli oppressi.*

CAP. I.

Minore quidem rerum motu Romani Macedonicum, quam Punicum bellum gesserunt; sed tanto clarius, quanto nobilitate Macedones Poenos antecesserunt. Quippe cum gloria Orientis domiti, tum & auxiliis omnium regum iuuabantur. Itaque Romani & legiones plures numero conscripserunt; & auxilia a Masinissa rege Numidarum, ceterisque sociis omnibus acciuerunt, & Eumeni regi Bithyniae denuntiatum, vt bellum summis viribus iuuaret; Perseo praeter Macedonicum inuictae opinionis exercitum decennis belli sumtus a Patre paratus, in thesauris & horreis erat: Qui-

Quibus rebus inflatus, oblitus fortunae paternae, veterem Alexandri gloriam considerare suos iubebat. Prima equitum congressio fuit, qua victor Perseus suspensam omnium exspectationem in favorem sui traxit: misit tamen legatos ad consulem, qui pacem peterent, quam patri suo Romani etiam victo dedissent, impensas belli lege victi susceperus. Sed Consul Sulpitius non minus graues quam victo leges dixit. Dum haec aguntur, metu tam periculosi belli, Romani Aemilium Paulum consulem creant, eique extra ordinem Macedonicum bellum decernunt: qui cum ad exercitum venisset, non magnam moram pugnae fecit. Pridie quam praelium consereretur, luna nocte defecit: triste id ostentum Perseo omnibus praesagientibus, finemque Macedonici regni portendi vaticinantibus.

CAP. II. In ea pugna M. Cato, Catonis oratoris filius, dum inter confertissimos hostes insigniter dimicat, equo delapsus, pedestre praelium aggreditur. Nam cadentem manipulus hostium cum horrido clamore, veluti iacentem obtruncaturus circumsteterat: at ille citius corpore collecto, magnas strages edidit. Quum ad vnum opprimendum vndique hostes conuolarent, dum procerum quendam petit, gladius ei e manu elapsus, in mediam cohortem hostium decidit: ad quem reciperandum vmbone se protegens inspectante vtroque exercitu inter mucrones se hostium

immersit; recollectoque gladio, multis vulneribus exceptis, ad socios cum clamore hostium revertitur. Huius audaciam ceteri imitati victoriam peperere. Perseus rex fuga cum decem millibus talentum Samothraciam defertur: quem Cneius Octauius, ad persequendum missus a consule, cum duobus filiis, Alexandro & Philippo, cepit; captumque ad consulem duxit. Macedonia a Carano, qui primus in ea regnauit, vsque Persea triginta reges habuit. Quorum sub regno fuit quidem annis noningentis & viginti tribus; sed rerum non nisi centum nonaginta duobus annis potita. Ita cum in ditionem Romanorum cessisset, magistratibus per singulas ciuitates constitutis, libera facta est; legesque quibus adhuc vtitur, a Paulo accepit. Aetolorum vniuersarum vrbium senatus, cum coniugibus & liberis, qui dubia fide fuerant, Romam missus ibique, ne in patria aliquid nouaret, diu detentus, aegreque per multos annos legationibus ciuitatum senatu fatigato in patriam quisque suam remissus est.

LIBER XXXIV.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Romani in Achaeos causſas belli quaerunt, & inueniunt. Cruenta Achaeorum seditio.*

2. *Bel-*

2. *Bellum quo Achaei oppressi sunt: & Corinthus euersa. Ptolemaeus Aegypto pulsus, petit a Romanis auxilium.*
3. *Populi ad Antiochum in gratiam Ptolemaei vere libera legatio. Antiocho mortuo Demetrius frater Roma profugus Regno potitur.*
4. *Prusias, Rex Bithyniae, Regno & vita a filio spoliatur.*

CAP. I.

Poenis ac Macedonibus subactis, Aetolorumque viribus principum captiuitate debilitatis, soli adhuc ex Graecia vniuersa Achaei nimis potentes tunc temporis Romanis videbantur; non propter singularum ciuitatium nimias opes; sed propter conspirationem vniuersarum. Namque Achaei, licet per ciuitates veluti per membra diuisi sint, vnum tamen corpus & vnum imperium habent; singularumque vrbium pericula mutuis viribus propulsant. Quaerentibus igitur Romanis caussas belli, tempestiue fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achaei propter mutuum odium populabantur. Spartanis a senatu responsum est, legatos se ad inspiciendas res sociorum, & ad iniuriam demendam in Graeciam missuros: sed legatis occulta mandata data sunt, vt corpus Achaeorum dissoluerent, singulasque vrbes proprii iuris facerent, quo facilius ad obsequia cogerentur: & si quae vrbes contumaces essent, frangerentur. Igi-

tur legati, omnium ciuitatium principibus Corinthum euocatis, decretum senatus recitant: quid consilii habeant, aperiunt. Expedire omnibus dicunt, vt singulae ciuitates sua iura & suas leges habeant. Quod vbi omnibus innotuit; velut in furorem versi, vniuersum peregrinum populum trucidant: legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi audito tumultu, trepidi fugissent.

CAP. II. Haec vbi Romae nuntiata sunt, statim senatus Mummio consuli bellum Achaicum decernit: qui extemplo exercitu deportato, & omnibus strenue prouisis, pugnandi copiam hostibus fecit. Sed, Achaei velut nihil negotii Romano bello susceptum esset, ita apud eos neglecta omnia & soluta fuere. Itaque praedam, non praelium cogitantes, & vehicula ad spolia hostium reportanda duxerunt: & coniuges liberosque suos, ad spectaculum certaminis, in montibus posuerunt. Sed praelio commisso, ante oculos suorum caesi, lugubre his spectaculum, & grauem luctus memoriam reliquerunt. Coniuges quoque liberique eorum, de spectatoribus captiui facti, praeda hostium fuere. Vrbs ipsa Corinthus diruitur: populus omnis sub corona venditur: vt hoc exemplo ceteris ciuitatibus metus nouarum rerum imponeretur. Dum haec aguntur, rex Syriae Antiochus Ptolemaeo, maioris sororis suae filio, regi Aegypti, bellum infert, segni admodum, & quotidiana luxuria ita marcenti, vt non solum regiae maiestatis officia in-

intermitteret, verum etiam sensu hominis nimia sagina careret. Pulsus igitur regno, ad fratrem minorem Ptolemaeum Alexandriam confugit: participatoque cum eo regno, legatos Romam ad senatum mittunt: auxilia petunt; fidem societatis implorant. Mouere senatum preces fratrum.

CAP. III. Mittitur itaque legatus Popilius ad Antiochum: qui abstinere illum Aegypto, aut si iam incessisset, excedere iuberet. Cum in Aegypto eum inuenisset, osculumque ei rex obtulisset; (nam coluerat inter ceteros Popilium Antiochus, cum Romae obses esset) tunc Popilius facessere interim priuatam amicitiam iubet, cum mandata patriae intercedant: prolatoque senatus decreto, & tradito, cum cunctari eum videret, consultationemque ad amicos referre; ibi Popilius virga, quam in manu gerebat, amplo circulo inclusum, vt & amicos caperet, consulere iubet; nec prius inde exire, quam responsum senatui daret, aut pacem, aut bellum cum Romanis habiturum. Adeoque haec austeritas animum regis fregit, vt pariturum se senatui responderet. Reuersus in regnum Antiochus, decedit relicto paruulo admodum filio: cui cum tutores dati a populo essent, patruus eius Demetrius, qui obses Romae erat, cognita morte Antiochi fratris, senatum adiit, obsidemque se viuo fratre venisse, quo mortuo, cuius obses sit, se ignorare. Dimitti igitur se ad regnum

petendum aequum esse, quod sicuti iure gentium maiori fratri cesserit, ita nunc sibi, qui pupillum aetate antecedat, deberi. Cum se non dimitti animaduerteret a senatu, tacito iudicio, tutius apud pupillum quam apud eum regnum futurum, arbitrante, specie venandi ab vrbe profectus, Hostiae tacitus, cum fugae comitibus nauem conscendit. Delatus in Syriam, secundo fauore omnium excipitur: regnumque ei, occiso pupillo, a tutoribus traditur.

CAP. IV. Eodem fere tempore Prusias, rex Bithyniae, consilium cepit interficiendi Nicomedis filii, dum consulere studet minoribus filiis, quos ex nouerca eius susceperat, & Romae habebat. Sed res adolescenti ab his, qui facinus susceperant, proditur: hortatique sunt, vt crudelitate patris prouocatus, occupet insidias, & in auctorem retorqueat scelus: nec difficilis persuasio fuit. Igitur cum accitus in patris regnum venisset, statim rex appellatur. Prusias regno spoliatus a filio, priuatusque redditus, etiam a seruis deseritur. Cum in latebris ageret, non minori scelere, quam filium occidi iusserat, a filio interficitur.

LIBER

LIBER XXXV.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Demetrius bella quaerens ab hostibus opprimitur & in acie cadit.*
2. *Qui Demetrium euerterat, eiusdem filio dat poenas, praelio victus & interfectus.*

CAP. I.

Demetrius occupato Syriae regno, nouitati suae ocium periculosum ratus, ampliare fines regni, & opes augere finitimorum bellis statuit. Itaque Ariarathi regi Cappadociae propter fastiditas sororis nuptias infestus, fratrem eius Orofernem, per iniuriam regno pulsum, supplicem recepit; datumque sibi honestum belli titulum gratulatus, restituere eum in regnum statuit. Sed Orofernes ingrato animo, inita cum Antiochensibus pactione, offensis tunc Demetrio pellere ipsum regno, a quo restituebatur, consilium cepit. Quo cognito, Demetrius vitae quidem eius, ne Ariarathes metu fraterni belli liberaretur, pepercerit: ipsum autem comprehensum, vinctum Seleuciae custodiri iubet. Nec Antiochenses indicio territi, a defectione destiterunt. Itaque adiuuantibus & Ptolemaeo rege Aegypti, & Attalo rege Asiae & Aria-

Ariarathe Cappadociae, bello a Demetrio lacessiti, subornant propalam quendam, sortis extremae iuvenem, qui Syriae regnum velut paternum armis repeteret: & ne quid contumeliae deesset, nomen ei Alexandri inditur, genitusque ab Antiocho rege dicitur. Tantum odium Demetrii apud omnes erat, vt aemulo eius non vires regiae tantum, verum etiam generis nobilitas consensu omnium tribueretur. Igitur Alexander, admirabili rerum varietate pristinarum sordium oblitus, totius ferme Orientis viribus succinctus, bellum Demetrio infert, victumque vita pariter ac regno spoliat. Quanquam nec Demetrio animus in propulsando bello defuit. Nam & primo praelio hostem fugauit, & regibus bellum restituentibus, multa millia in acie cecidit. Ad postremum tamen, inuicto animo inter confertissimos fortissime dimicans, cecidit.

CAP. II. Initio belli Demetrius duos filios apud Gnidium hospitem suum, cum magno auri pondere commendauerat, vt belli periculis eximerentur, & si ita fors tulisset, paternae vltioni seruarentur. Ex his maior Demetrius annos pubertatis egressus, audita Alexandri luxuria, quem insperatae opes, & alien e felicitatis ornamenta, velut captum, inter scortorum greges desidem in regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus, securum ac nihil hostile metuentem, aggreditur. Antiochenses quoque veterem patris offensam nouis me-

ris

ritis correcturi, se ei tradunt: sed & milites paterni, fauore iuuenis accensi, prioris sacramenti religionem noui regis superbiae praeferentes, signa ad Demetrium transferunt: atque ita Alexander non minori impetu fortunae destructus, quam elatus, primo praelio victus interficitur: deditque poenas, & Demetrio, quem occiderat: & Antiocho, cuius mentitus originem fuerat.

LIBER XXXVI.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Demetrius iunior bella importune mouet & infeliciter persequitur. Turbae in Syria, vbi Trypho ab Antiocho, Demetrii fratre, opprimitur. Antiochus Iudaeos subigit.*
2. *De Iudaeorum origine, incrementis & gestis, Iustini falsa sententia.*
3. *Iudaeorum opes. Mare mortuum. A quibus Iudaei domiti sint.*
4. *Attali Asiae regis delicta, mors testamentum. Asia Romanorum fit propria: diuitias autem & vitia sua Romam transmittit.*

CAP.

CAP. I.

Reciperato paterno regno Demetrius & ipse rerum successu corruptus, vitiis adolescentiae in segnitiam labitur; tantumque contemtum apud omnes inertiae, quantum odium ex superbia pater habuerat, contraxit. Itaque cum ab imperio eius passim ciuitates deficerent, ad abolendam segnitiae maculam, bellum Parthis inferre statuit: cuius aduentum non inuiti Orientis populi videre; & propter Arsacidae regis Parthorum crudelitatem, & quod veteri Macedonum imperio assueti, noui populi superbiam indigne ferebant. Itaque cum & Persarum, & Elimaeorum, Bactrianorumque auxiliis iuuaretur, multis praeliis Parthos fudit. Ad postremum tamen, pacis simulatione deceptus, capitur; traductusque per ora ciuitatium, populis, qui desciuerant, in ludibrium fauoris ostenditur. Missus deinde in Hyrcaniam, benigne & iuxta cultum pristinae fortunae habetur. Dum haec aguntur, interim in Syria Trypho, qui se tutorem Antiocho Demetrii priuigno substituit a populo laborauerat, occiso pupillo, regnum Syriae inuadit. Quo diu potitus, tandem exolescente fauore recentis imperii, ab Antiocho puero admodum, Demetrii fratre, qui in Asia educabatur, bello vincitur: rursusque regnum Syriae ad subolem Demetrii reuertitur. Igitur Antiochus, memor quod & pater propter superbiam inuisus, & frater propter segnitiam contemtus fuisset, ne in eadem vitia incideret, recepta in matrimonium Cleopatra, vxore fra-

fratris, ciuitates, quae initio fraterni imperii defecerant, summa industria persequitur, domitasque rursus regni terminis adiicit. Iudaeosque, qui in Macedonico imperio sub Demetrio patre armis se in libertatem vindicauerant, subigit. Quorum vires tantae fuere, vt post hunc nullum Macedonum regem tulerint, domesticisque imperiis vsi, Syriam magnis bellis infestauerint.

CAP. II. Namque Iudaeis origo Damascena, Syriae nobilissima ciuitas: vnde & Assyriis regibus genus, ex regina Semirami, fuit. Nomen vrbi a Damasco r[illegible]e inditum: in cuius honorem, Syrii sepulchrum Arathis vxoris eius pro templo coluere; deamque exinde sanctissimae religionis habent. Post Damascum Azelus, mox Adores, & Abraham & Israhel reges fuere. Sed Israhelem felix decem filiorum prouentus maioribus suis clariorem fecit. Itaque populum in decem regna diuisum filiis tradidit, omnesque ex nomine Iudae, qui post diuisionem decesserat, Judaeos appellauit: colique eius memoriam ab omnibus iussit: Eius portio omnibus accesserat. Minimus aetate inter fratres Ioseph fuit: cuius excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Aegyptum, cum magicas ibi artes sollerti ingenio percepisset, breui ipsi regi percarus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somniorum primus intelligentiam condidit; nihilque diuini iuris humanique ei incognitum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0313
DFG

tum videbatur: adeo, vt etiam sterilitatem agrorum ante multos annos prouiderit: periissetque omnis Aegyptus fame, nisi monitu eius rex edicto seruari per multos annos fruges iussisset; tantaque experimenta eius fuerunt, vt non ab homine, sed a Deo responsa dari viderentur. Filius eius Moses fuit, quem praeter paternae scientiae hereditatem, etiam formae pulchritudo commendabat. Sed Aegyptii, quum scabiem & vitiliginem paterentur, responso moniti eum cum aegris, ne pestis ad plures serperet, terminis Aegypti pellunt. Dux igitur exsulum factus, sacra Aegyptiorum furto abstulit: quae repetentes armis Aegyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt. Itaque Moses Damascena antiqua patria repetita, montem Synan occupat: quo, septem dierum ieiunio, per deserta Arabiae, cum populo suo fatigatus, cum tandem venisset, septimum diem, more gentis Sabbatum appellatum, in omne aeuum ieiunio sacravit: quoniam illa dies famem illis erroremque finierat. Et quoniam metu contagionis pulsos se ab Aegypto meminerant, ne eadem causa inuisi apud incolas forent, cauerunt, ne cum peregrinis communicarent; quod ex causa factum, paulatim in disciplinam religionemque conuertit. Post Mosen etiam filius eius Arnas, sacerdos sacris Aegyptiis, mox rex creatur; semperque exinde hic mos apud Iudaeos fuit, vt eosdem, reges & sacerdotes haberent: quorum iustitia religione permixta, incredibile quantum coaluere.

CAP.

CAP. III. Opes genti ex vectigalibus opobalsami creuere, quod in his tantum regionibus gignitur. Est namque vallis, quae continuis montibus, velut muro quodam, ad instar castrorum clauditur. Spatium loci ducenta iugera, nomine *arcus dicitur. In ea silua est, & vbertate & amœnitate insignis: siquidem palmeto & opobalsamo distinguitur. Arbores opobalsami, formam smilem piceis arboribus habent, nisi quod sunt humiles magis, & in vinearum morem excoluntur. Hae certo anni tempore balsamum sudant. Sed non minor loci eius apricitatis quam vbertatis admiratio est: quippe cum toto orbe regionis eius ardentissimus sol sit, ibi tepidi aëris naturalis quaedam ac perpetua apricitas ineſt. In ea regione lacus est, qui propter magnitudinem & aquae immobilitatem, mortuum mare dicitur. Nam neque ventis mouetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur: neque nauigationis patiens est, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiam vllam sustinet, nisi quae alumine illinatur. Primum Xerxes rex Persarum, Iudaeos domuit: postea cum ipsis Persis in ditionem Alexandri Magni venere, dinque in potestate Macedonici imperii subiecti Syriae regno fuere. A Demetrio cum desciuissent, amicitia Romanorum petita, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus.

alii legunt: Hierichus.

CAP.

CAP. IV. Per eadem tempora, quibus in Syria regni mutatio inter nouos reges alternabatur, in Asia rex Attalus florentissimum, ab Eumene patruo acceptum regnum, caedibus amicorum, & cognatorum suppliciis foedabat, nunc matrem anum, nunc Beronicen sponsam maleficiis eorum necatas confingens. Post hanc scelestam violentiae rabiem, squalidam vestem sumit: barbam capillumque in modum reorum summittit; non in publicum prodire, non populo se ostendere, non domi laetiora conuiuia inire, aut aliquod signum sani hominis habere, prorsus vt poenas pendere manibus interfectorum videretur. Omissa deinde regni administratione, hortos fodiebat, gramina seminabat, & noxia innoxiis permiscebat, eaque omnia veneni succo infecta, velut peculiare munus amicis mittebat. Ab hoc studio, aerariae artis fabricae se tradit, cerisque fingendis, & aere fundendo procudendoque oblectabatur. Matri deinde sepulchrum facere instituit: cui operi intentus, morbum ex solis feruore contraxit, & septima die decessit; huius testamento heres populus Roman. tunc instituitur. Sed erat ex Eumene Aristonicus, non iusto matrimonio, sed ex pellice Ephesia citharistae cuiusdam filia genitus, qui post mortem Attali, velut paternum regnum Asiam inuasit. Cum multa secunda praelia aduersus ciuitates, quae metu Romanorum tradere se ei nolebant, fecisset; iustusque rex iam videretur, Asia Licinio Crasso consuli decernitur:

qui

qui intentior Attalicae praedae, quam bello, quum extremo anni tempore inordinata acie praelium conseruisset, victus poenas inconsultae auaritiae, sanguine dedit. In huius locum missus Perpenna consul, prima congressione Aristonicum superatum in potestatem suam redegit; Attalicasque gazas, hereditarias populi Romani, nauibus impositas, Romam deportauit. Quod aegre ferens successor eius Marcus Aquilius Consul, ad eripiendum Aristonicum Perpennae, veluti sui potius triumphi munus esse deberet, festinata velocitate contendit. Sed contentionem Consulum mors Perpennae diremit. Sic Asia Romanorum facta, cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit.

LIBER XXXVII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Massilienſium in Phocenſes beneficentia. Tragoediae in Cappadocia & Ponto.*
2. *Mithridatis Ponti Regis futura magnitudo praedicta, liberatio, occupationes.*
3. *Eiusdem res gestae, & domi ab vxore periculum.*

4. *Otii detestatio, exercitia militaria. Cappadociae & Galatiae occupatio, atque superbum Romanis responsum.*

CAP. I.

Capto Aristonico, Massilienses pro Phocensibus conditoribus suis, quorum vrbem senatus, & omne nomen, quod & tunc, & antea Antiochi bello, infesta contra populum Romanum arma tulerant, deleri iusserat, legatos Romam deprecatum misere, veniamque his a senatu obtinuere. Post haec regibus, qui aduersus Aristonicum auxilia tulerant, praemia persoluta: Mithridati Pontico Syria maior; filiis Ariarathis regis Cappadociae, qui eodem bello occiderat, Lycaonia & Cilicia datae; fideliorque populus Romanus in socii filios, quam mater in liberos fuit: Quippe hinc paruulis auctum regnum inde vita ademta. Namque Laodice ex numero sex filiorum, quos virilis sexus ex Ariarathe rege susceperat, timens ne non diutinam regni administrationem adultis quibusdam potiretur, quinque parricidiali veneno necauit: vnum paruulum sceleri matris cognatorum custodia eripuit, qui post necem Laodices (nam propter crudelitatem, eam populus exstinxerat) solus regno potitus est. Mithridates quoque repentina morte interceptus, filium, qui & ipse Mithridates dictus est, reliquit. Cuius ea postea magnitudo fuit, vt non sui tantum temporis, verum etiam superioris aeta-

aetatis omnes reges maiestate superauerit, bellaque cum Romanis per XLVI annos varia victoria gesserit: Cum eum summi imperatores, Sylla, Lucullus, ceterique, in summa Cneus Pompeius ita vicerint, vt maior clariorque in restaurando bello resurgeret, damnisque suis terribilior redderetur. Denique ad postremum non vi hostili victus, sed voluntaria morte, in auito regno, senex, herede filio, decessit.

CAP. II. Huius futuram magnitudinem etiam caelestia ostenta praedixerant. Nam & quo genitus est anno, & eo quo regnare primum coepit, stella cometes per vtrumque tempus septuaginta diebus ita luxit, vt caelum omne conflagrare videretur. Nam & magnitudine sui quartam partem caeli occupauerat, & fulgore sui Solis nitorem vicerat; & cum oriretur occumberetque, quatuor spatium horarum consumebat. Puer tutorum insidias passus est, qui eum fero equo impositum, equitare iacularique cogebant: qui conatus cum eos fefelliſſent, supra aetatem regente equum Mithridate, veneno eum appetiuere. Quod metuens, antidota saepius bibit, & ita se aduersus insidias exquisitis tutioribus remediis stagnauit, vt ne volens quidem senex veneno mori potuerit. Timens deinde, ne inimici, quod veneno non potuerant, ferro peragerent, venandi studium finxit: quo per septem annos neque vrbis, neque ruris tecto vsus est: sed per siluas vagatus, diuersis mon-

tium regionibus pernoctabat, ignaris omnibus, quibus esset locis: assuetus feras cursu aut fugere, aut persequi, cum quibusdam etiam, viribus congredi. Quibus rebus, & insidias vitauit, & corpus ad omnem virtutis patientiam durauit.

CAP. III. Ad regni deinde administrationem cum accessisset, statim non de regendo, sed de augendo regno cogitauit. Itaque Scythas inuictos antea, qui Sopyriona, Alexandri Magni ducem, cum triginta millibus armatorum deleuerant, qui Cyrum, Persarum regem, cum ducentis millibus trucidauerant, qui Philippum Macedonum regem fugauerant, ingenti felicitate perdomuit. Auctus igitur viribus, Pontum quoque, ac deinceps Cappadociam occupauit. Cum de Asia tractaret, tacitus cum quibusdam amicis regno profectus, vniuersam nemine sciente peruagatus est, omniumque vrbium situm ac regiones cognouit. Inde Bithyniam transcendit, & quasi dominus Asiae, opportuna quaeque victoriae suae metatus est. Post haec in regnum, cum iam periisse crederetur, reuersus est, inuento paruulo filio, quem per absentiam eius Laodice soror vxorque enixa fuerat. Sed inter gratulationem aduentus sui, & filii geniti, veneno periclitatus est, siquidem Laodice soror, cum periisse eum crederet, in concubitus amicorum proiecta, quasi admissum facinus maiore scelere tegere posset, venenum aduenienti parauit. Quod cum

ex

ex ancilla Mithridates cognouisset, facinus in auctores vindicauit.

CAP. IV. Hieme deinde imminente, non in conuiuio, sed in campo; non in vacationibus, sed in exercitationibus: nec inter sodales, sed inter coaequales, aut equo, aut cursu, aut viribus contendebat. Exercitum quoque suum ad parem laboris patientiam quotidiana exercitatione durabat: atque ita inuictus ipse inexpugnabilem exercitum fecerat. Inita deinde cum Nicomede societate, Paphlagoniam inuadit, victamque cum socio diuidit. Quam cum teneri a regibus senatui nuntiatum esset, legatos ad vtrumque misit, qui gentem restitui in pristinum statum iuberent. Mithridates cum se iam parem magnitudini Romanorum crederet, superbo responso, hereditarium patri suo regnum obuenisse, respondit: mirarique se, quod ei relata controuersia non fuerit, sibi referatur. Nec territus minis, Galatiam quoque occupat. Nicomedes quoniam se tueri iure non potuerat, iusto regi redditurum respondit. Atque ita filium suum mutato nomine, Philiamenem Paphlagonum regum nomine appellat, & quasi stirpi regiae reddidisset regnum, falso nomine tenet. Sic ludibrio habiti legati, Romam reuertuntur.

LIBER XXXVIII.

BREVIARVM CAPITVM.

1. *Mithridates regni sui auspicia parricidiis polluit; & callidis artibus Ariarathem Cappadocem trucidat.*
2. *Nouae Mithridatis & Nicomedis tragoediae, quas senatus Romanus vtcumque sedat.*
3. *Mithridates Tigranem in societatem belli aduersus Romanos trahit, & Proconsulibus Roman. fusis, ingenti ciuitatum Asianarum fauore excipitur.*
4. *Oratio Mithridatis, in qua rationes suas exponit, cur bellum sit Romanis inferendum.*
5. *Romanos, dum occupati essent, adoriundos esse censet, justum bellum illud ostendens.*
6. *Malas eorumdem artes, & originem detegit.*
7. *Stirpis suae nobilitatem, suorumque libertatem ac fortitudinem opponit; nec non belli facilitatem, liberalitate ac munificentia milites alliciens.*
8. *Ptolemaeus Physcon in Aegyto multiplici scelere omnia turbat, & a suis pellitur.*

9. De-

9. *Demetrii Syriae Regis, fortunae ludibrii, casus varii.*
10. *Antiochus, Demetrii frater, Parthos bello adgressus, in acie a suis desertus occciditur.*

CAP. I.

Mithridates parricidia nece vxoris auspicatus, ſororis alterius Laodices filios, cuius virum Ariarathem regem Cappadociae per Gordium inſidiis occiderat, tollendos ſtatuit: nihil actum morte patris exiſtimans, ſi adoleſcentes paternum regnum, cuius ille cupiditate flagrabat, occupaſſent. Igitur dum in his cogitationibus verſatur, interim Nicomedes, rex Bithyniae, vacuam morte regis Cappadociam inuadit. Quod cum nuntiatum Mithridati fuiſſet, per ſimulationem pietatis auxilia ſorori ad expellendum Cappadocia Nicomedem mittit. Sed iam Laodice per pactionem ſe Nicomedi in matrimonium tradiderat. Quod aegre ferens Mithridates, praeſidia Nicomedis Cappadocia expellit; regnumque ſororis filio reſtituit: egregium prorſus factum, ni ſubſequuta fraus eſſet. Siquidem interiectis menſibus, ſimulat ſe Gordium, quo miniſtro vſus in Ariarathe interficiendo fuerat, reſtituere in patriam velle, ſperans, ſi obſiſteret adoleſcens, cauſſas belli futuras: aut ſi permitteret, per eundem, filium tolli poſſe, per quem interfecerat patrem. Quod vbi Ariarathes iunior moliri cognouit, grauiter ferens interfecto-

rem patris per auunculum potissimum ab exsilio revocari, ingentem exercitum contrahit. Igitur cum in aciem eduxisset Mithridates peditum octoginta millia, equitum decem millia, currus falcatos DC, nec Ariarathi, auxiliantibus finitimis regibus, minores copiae essent: incertum belli timens, consilia ad insidias transfert; sollicitatoque inuene ad colloquium, cum ferrum occultatum inter fascias gereret, scrutatori ab Ariarathe regio more misso, curiosius imum ventrem pertractanti, ait, caueret, ne aliud telum inueniret, quam quaereret. Atque ita risu protectis insidiis, euocatum ab amicis velut ad secretum sermonem, inspectante vtroque exercitu, interficit: regnum Cappadociae octo annorum filio, impositio Ariarathis nomine, additoque ei rectore Gordio, tradidit.

CAP. II. Sed Cappadoces, crudelitate ac libidine praefectorum vexati, a Mithridate deficiunt; fratremque regis, & ipsum Ariarathem nomine, ab Asia, vbi educabatur, reuocant: cum quo Mithridates praelium renouat, victumque Cappadociae regno expellit. Nec multo post adolescens, ex aegritudine collecta infirmitate, decedit. Post huius mortem Nicomedes timens, ne Mithridates accessione Cappadociae, etiam Bithyniam finitimam inuaderet, subornat puerum eximiae pulchritudinis, quasi Ariarathes tres, non duos filios genuisset, qui a senatu Romano paternum regnum peteret. Vxorem quoque Laodicen Romam mittit,

tit, ad testimonium trium ex Ariarathe susceptorum filiorum. Quod vbi Mithridates cognouit, & ipse pari impudentia Gordium Romam mittit, qui senatui assereret, puerum, cui Cappadociae regnum tradiderat, ex eo Ariarathe genitum, qui bello Aristonici auxilia Romanis ferens cecidisset. Sed senatus, studio regum intellecto, aliena regna falsis nominibus furantium, & Mithridati Cappadociam, & Nicomedi, ad solatium eius, Paphlagoniam ademit. Ac ne contumelia regum foret, ademtum illis, quod daretur aliis, vterque populus libertate donatus est. Sed Cappadoces munus libertatis abnuentes, negant viuere gentem sine rege posse. Atque ita rex illis a senatu Ariobarzanes constituitur.

CAP. III. Erat eo tempore Tigranes rex Armeniae, obses Parthis ante multum temporis datus, sed olim ab iisdem in regnum paternum remissus. Hunc Mithridates mire ad societatem Romani belli, quod olim meditabatur, pellicere cupiebat. Nihil igitur de offensa Romanorum sentientem, per Gordium impellit, vt Ariobarzani, segni admodum, bellum inferat: & ne quis dolus subesse videretur, filiam suam ei Cleopatram in matrimonium tradit. Primo igitur aduentu Tigranis, Ariobarzanes sublatis rebus suis, Romam contendit. Atque ita per Tigranem rursus Cappadocia iuris esse Mithridatis coepit. Eodem tempore mortuo Nicomede, etiam filius eius & ipse Nicomedes regno a Mithridate

pellitur, qui cum supplex Romam venisset, decernitur in senatu, vt vterque in regnum restituantur: in quod tum missi Aquilius & Manlius Maltinus legati. His cognitis Mithridates societatem cum Tigrane, bellum aduersus Romanos gesturus, iungit: pactique inter se sunt, vt vrbes agrique Mithridati, homines vero & quaecunque auferri possent, Tigrani cederent. Post haec Mithridates intelligens, quantum bellum suscitaret, legatos ad Cimbros, alios ad Gallograecos, & Sarmatas, Bastarnasque, auxilium petitum mittit. Nam omnes has gentes, Romanum meditabundus bellum, variis beneficiorum muneribus iam ante illexerat. Ab Scythia quoque exercitum venire iubet, omnemque Orientem aduersus Romanos armat. Non magno igitur labore Aquilium & Maltinum, Asiano exercitu instructos vincit: quibus simul cum Nicomede pulsis, ingenti fauore ciuitatium excipitur: multum ibi auri argentique, studio veterum regum, magnumque belli apparatum inuenit: quibus instructus, debita ciuitatibus publica priuataque remittit, & vacationem quinquennii concedit. Tunc ad concionem milites vocat, eosque variis exhortationibus ad Romana bella siue Asiana incitat. Quam orationem dignam duxi, cuius exemplum breuitati huius operis inserem, quam obliquam Pompeius Trogus expositit: quoniam in Liuio & in Sallustio reprehendit, quod, conciones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiae modum excesserint.

CAP.

CAP. IV. Optandum sibi fuisse, ait, vt de eo liceret consulere, bellumne sit cum Romanis, an pax habenda: quin vero sit resistendum impugnantibus, nec eos quidem dubitare, qui spe victoriae careant. Quippe aduersus latronem, si nequeant pro salute, pro vltione tamen sua, omnes ferrum stringere. Ceterum quia non id agitur, an liceat quiescere, non tantum animo hostiliter, sed etiam praelio congressis, consulendum, qua ratione ac spe coepta bella sustineant. Esse autem sibi victoriae fiduciam, si sit illis animus: Romanosque vinci posse, cognitum non sibi magis, quam ipsis militibus, qui & in Bithynia Aquilium, & Maltinum in Cappadocia fuderint. At si quem aliena magis exempla, quam sua experimenta moueant, audire se, a Pyrrho rege Epiri, non amplius quam quinque millibus Macedonum instructo, fusos tribus praeliis Romanos. Audire, Annibalem sexdecim annis Italiae victorem immoratum: & quin ipsam caperet vrbem, non Romanorum illi vires obstitisse, sed domesticae aemulationis atque inuidiae studium. Audire, populos Transalpinae Galliae, Italiam ingressos, maximis eam plurimisque vrbibus possidere; & latius aliquanto solum finium quam in Asia, quae dicatur imbellis, eosdem Gallos occupasse: nec victam solum dici sibi Romam a Gallis, sed etiam captam; ita vt vnius illis montis tantum cacumen relinqueretur; nec bello hostem, sed pretio remotum; Gallorum autem nomen, quod semper Romanos terruit, in partem virium suarum ipse numeret. Nam

hos, qui Asiam incolunt Gallos, ab illis, qui Italiam occupauerant, sedibus tantum distare: originem quidem ac virtutem, genusque pugnae idem habere, tantoque his sagaciora esse quam illis ingenia, quanto longiori ac difficiliori spatio per Illyricum Thraciamque prodierint, paene operosius transitis eorum finibus, quam vbi consedere, possessis. Iam ipsam Italiam audire se numquam, vt Roma condita sit, satis illi pacatam, sed assidue per omnes annos pro libertate alios, quosdam etiam pro iure imperii bellis continuis perseueraſſe; & a multis ciuitatibus Italiae deletos Romanorum exercitus ferro, a quibusdam nouo contumeliae more sub iugum missos. Ac ne veteribus immoremur exemplis, hoc ipso tempore vniuersam Italiam bello Marsico consurrexisse, non iam libertatem, sed consortium imperii, ciuitatisque poscentem. Nec grauius vicino Italiae bello, quam domesticis principum factionibus vrbem premi, multoque periculosius esse Italico ciuile bellum: simul & a Germania Cimbros, immensa millia ferorum atque immitium populorum, more procellae, inundasse Italiam: quorum tametsi singula bella sustinere Romani possent, vniuersis tamen obruantur, vt ne vacaturos quidem bello suo putet.

CAP. V. Vtendum igitur occasione, & rapienda incrementa virium, ne si illis occupatis quieverint, mox aduersus vacuos & quietos, maius negotium habeant. Non enim quaeri, an capienda sint arma, sed vtrum sua potius occasione, an illorum.

rum. Nam bellum equidem iam tunc secum ab illis geri coeptum; cum sibi pupillo maiorem Phrygiam ademerint, quam patri suo praemium dati aduersus Aristonicum auxilii concesserant, gentem, quam & proauo suo Mithridati Seleucus Callinicus in dotem dedisset. Quid cum Paphlagonia se decedere iusserunt, non alterum illud genus belli fuisse? quae non vi, non armis, sed adoptione testamenti, & regum domesticorum interitu, hereditaria patri suo obuenisset: cum inter hanc decretorum amaritudinem parendo, non tamen eos mitigaret, quin acerbius se in dies gerant, non obtinuisse. Quod enim a se non praebitum illis obsequium? non Phrygiam, Paphlagoniamque dimissas? non Cappadocia filium eductum, quam iure gentium victor occupauerat? Raptam tamen sibi esse victoriam eius ab illis, quorum nihil est nisi bello quaesitum. Non regem Bithyniae Chreston, in quem senatus arma decreverat, a se in gratiam illorum occisum? tamen nihilominus imputari sibi, si qua Gordius aut Tigranes faciat: libertatem etiam in contumeliam sui a senatu vltro delatam Cappadociae, quam reliquis gentibus abstulerunt: deinde populo Cappadocum, pro libertate oblata, Gordium regem orante, ideo tantum, quoniam amicus suus esset, non obtinuisse. Nicomedem praecepto illorum bellum sibi intulisse, quia vltum ierit se: ab ipsis ventum obuiam in eo, & nunc eam secum bellandi illis caussam fore, quod non impune se Nicomedi lacerandum, saltatricis filio, praebuerit.

CAP. VI. Quippe non delicta regum illos, sed vires ac maiestatem insequi: neque in se vno, sed in aliis quoque omnibus hac semper arte grassatos. Sic & auum suum Pharnacem, per cognationum arbitria, succedaneum regi Pergameno Eumeni datum: sic rursus Eumenem, cuius classibus primum ac in Asiam fuere transuecti, cuius exercitu magis quam suo, & Magnum Antiochum, & Gallos in Asia, & mox in Macedonia regem Persen domuerant; & ipsum pro hoste habitum, eique interdictum Italia: & quod cum ipso deforme sibi putauerant, cum filio eius Aristonico bellum gessisse. Nullius apud eos maiora, quam Masinissae regis Numidarum haberi merita. Huic imputari victum Annibalem, huic captum Syphacem, huic Carthaginem deletam: hunc inter duos illos Africanos tertium seruatorem vrbis referri: tamen cum huius nepote bellum modo in Africa gestum adeo inexpiabile, vt ne victum quidem memoriae patris donarent, quin carcerem ac triumphi spectaculum experiretur. Hanc illos regibus omnibus legem odiorum dixisse, scilicet quia ipsi tales reges habuerint, quorum etiam nominibus erubescant, aut pastores Aboriginum, aut aruspices Sabinorum, aut exsules Corinthiorum, aut seruos vernasque Thuscorum, aut, quod honoratissimum nomen fuit inter haec, Superbos, atque vt ipsi ferunt, conditores suos lupae vberibus altos: sic omnem illum populum luporum animos, inexplebiles sanguinis atque imperii, diuitiarumque auidos ac ieiunos habere.

CAP.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0330
DFG

CAP. VII. Se autem, seu nobilitate illis comparetur, clariorem illa colluuie conuenarum esse, qui paternos maiores suos a Cyro Darioque conditoribus Persici regni, maternos a Magno Alexandro, ac Nicanore Seleuco, conditoribus imperii Macedonici, referat: seu populus illorum conferatur suo, earum se gentium esse, quae non modo Romano imperio sint pares, sed Macedonico quoque obstiterint. Nullam subiectarum sibi gentium expertam peregrina imperia: nullis vmquam nisi domesticis regibus paruisse: Cappadociam velint, an Paphlagoniam recensere; rursus Pontum, an Bithyniam; itemque Armeniam maiorem minoremque: quarum gentium nullam neque Alexander ille, qui totam pacauit Asiam, nec quisquam successorum eius, aut posterorum attigisset. Scythiam duos vmquam ante se reges, non pacare, sed tantum intrare ausos, Darium & Philippum; aegre inde fugam sibi expedisse; vnde ipse magnam partem aduersus Romanos virium haberet. Multoque se timidius ac diffidentius bella Pontica ingressum, cum ipse rudis ac tiro esset: Scythiae praeter arma, virtutemque animi, locorum quoque solitudinibus, vel frigoribus instructae, per quae denuntiaretur ingens militiae labor ac periculum. Inter quas difficultates ne spes quidem praemii foret ex hoste vago; nec tantum pecuniae, sed etiam sedis inope. Nunc se diuersam belli conditionem ingredi. Nam neque caelo Asiae esse temperatius aliud, nec solo fertilius, nec vrbium multitudine amoenius; ma-

gnamque temporis partem, non vt militiam, sed vt festum diem acturos, bello dubium facili magis an vberi: si modo aut proximas regni Attalici opes, aut veteres Lydiae Ioniaeque audierint, quas non expugnatum eant, sed possessum: tantumque se auida exspectat Asia, vt etiam vocibus vocet: adeo illic odium Romanorum incussit rapacitas Proconsulum, sectio publicanorum, calumniae litium. Sequantur se modo fortiter; & colligant, quid se duce possit efficere tantus exercitus, quem sine cuiusquam militum auxilio, suamet vnius opera, viderint Cappadociam caeso rege cepisse; qui solus mortalium Pontum omnem Scythiamque pacauerit, quam nemo ante transire tuto atque adire potuerit. Nam iustitiae atque liberalitatis suae, ne ipsos milites, qui experiantur, testes refugere: & illa indicia habere, quod solus regum omnium non paterna solum, verum etiam externa regna, hereditatibus propter munificentiam acquisita possideat, Colchos, Paphlagoniam, Bosporum.

CAP. VIII. Sic excitatis militibus, post annos tres & viginti sumti regni, in Romana bella descendit. At in Aegypto mortuo rege Ptolemaeo, ei qui Cyrenis regnabat Ptolemaeo, per legatos regnum & vxor Cleopatra regina, soror ipsius, defertur. Laetus igitur hoc solo Ptolemaeus, quod sine certamine fraternum regnum recepisset, in quod subornari & a matre Cleopatra, & fauore principum, fratris filium cognouerat:

cete-

ceterum infestus omnibus, statim vbi Alexandriam ingressus est, fautores pueri trucidari iussit. Ipsum quoque die nuptiarum, quibus matrem eius in matrimonium recipiebat, inter apparatus epularum, & sollemnia religionum, in complexu matris interficit: atque ita torum sororis, caede filii eius cruentus, adscendit. Post quod non mitior in populares, qui eum in regnum vocauerant, fuit. Siquidem peregrinis militibus licentia caedis data, omnia sanguine quotidie manabant: ipsam quoque sororem, filia eius virgine per vim stuprata, & in matrimonium adscita, repudiat. Quibus rebus territus populus, in diuersa labitur, patriamque, metu mortis, exsul relinquit. Solus igitur in tanta vrbe cum suis relictus Ptolemaeus, cum regem se non hominum, sed vacuarum aedium videret, edicto peregrinos sollicitat. Quibus confluentibus, obuius legatis Romanorum, Scipioni Africano, & Spurio Mummio, & L. Metello, qui ad inspicienda sociorum regna veniebant, procedit. Sed quam cruentus ciuibus, tam ridiculus Romanis fuit. Erat enim & vultu deformis, & statura breuis, & sagina ventris non homini, sed belluae similis. Quam foeditatem nimia subtilitas perlucidae vestis augebat, prorsus quasi astu inspicienda praeberentur, quae omni studio occultanda pudibundo viro erant. Post discessum deinde legatorum (quorum Africanus, dum inspicit vrbem, spectaculo Alexandrinis fuit,) iam etiam populo peregrino inuisus, cum filio, quem ex sorore susceperat,

perat, & cum vxore matris pellice, metu insidiarum, tacitus in exsilium proficiscitur; contractoque mercenario exercitu bellum sorori pariter ac patriae infert. Arcessitum maximum deinde a Cyrenis filium, ne eum Alexandrini contra se regem crearent, interficit. Tunc populus statuas & imagines eius detrahit. Quod factum studio sororis existimans, filium, quem ex ea susceperat, interficit; corpusque in membra diuisum, & in cista compositum, matri die natalis eius inter epulas offerri curat. Quae res non reginae tantum, verum etiam vniuersae ciuitati, acerba & luctuosa fuit: tantumque moerorem festiuissimo conuiuio intulit, vt regia omnis repentino luctu incenderetur. Verso igitur studio principum ab epulis in exsequias, membra lacera populo ostendunt; & quid sperare de rege suo debeant, filii caede demonstrant.

CAP. IX. Finito luctu orbitatis, Cleopatra cum vrgeri se fraterno bello videret, auxilium a Demetrio rege Syriae, per legatos petit: cuius ipsius varii & memorabiles casus fuere. Namque Demetrius, vt supra dictum est, cum bellum Parthis intulisset, & multis congressionibus victor fuisset, repente insidiis circumuentus, amisso exercitu capitur. Cui Arsacides Parthorum rex, magno & regio animo misso in Hyrcaniam, non cultum tantum regium praestitit; sed & filiam in matrimonium dedit, regnumque Syriae, quod per absen-

sentiam eius Trypho occupauerat, restituturum promittit. Post huius mortem desperato reditu, non ferens captiuitatem Demetrius, priuatam etsi opulentam vitam pertaesus, tacitus in regnum fugam meditatur. Hortator illi & comes Gallimander amicus erat: qui post captiuitatem eius a Syria per Arabiae deserta, ducibus pecunia comparatis, Parthico habitu Babylonem peruenerat. Sed fugientem Phrahates, qui Arsacidae successerat, equitum celeritate, per compendiosos tramites occupatum tetrahit. Vt est deductus ad regem, Gallimandro quidem non tantum venia, verum etiam praemium fidei datum: Demetrium autem & graviter castigatum ad coniugem in Hyrcaniam remittit, arctioribusque custodiis obseruari iubet. Interiecto deinde tempore, cum fidem illi etiam suscepti liberi facerent, eodem amico comite repetita fuga est: sed pari infelicitate prope fines regni sui deprehenditur; ac denuo perductus ad regem, vt inuisus a conspectu summouetur. Tunc quoque vxori & liberis donatus, in Hyrcaniam, poenalem sibi ciuitatem, remittitur, talisque aureis ad exprobrationem puerilis leuitatis donatur. Sed hanc Parthorum tam mitem in Demetrium clementiam non misericordia gentis faciebat, nec respectus cognationis: sed quod Syriae regnum affectabant, vsuri Demetrio aduersus Antiochum fratrem, prout res, vel tempus, vel fortuna belli exegisset.

CAP.

CAP. X. His auditis, Antiochus occupandum bellum ratus, exercitum, quem multis finitimorum bellis indurauerat, aduersus Parthos ducit. Sed luxuriae non minor apparatus, quam militiae fuit: quippe LXXX millia armatorum, sequuta sunt CCC millia lixarum; ex quibus coquorum, pistorum, scenicorumque, maior numerus fuit. Argenti certe aurique tantum, vt etiam gregarii milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam, cuius amore populi ferro dimicant. Culinarum quoque argentea instrumenta fuere, prorsus quasi ad epulas, non ad bella pergerent. Aduenienti Antiocho multi Orientales reges occurrere, tradentes se, regnaque sua, cum exsecratione superbiae Parthicae. Nec mora congressioni fuit. Antiochus tribus praeliis victor, cum Babyloniam occupasset, magnus haberi coepit. Itaque omnibus ad eum populis deficientibus, nihil Parthis reliqui praeter patrios fines fuit. Tunc Phrahates Demetrium in Syriam ad occupandum regnum cum Parthico praesidio mittit, vt eo pacto Antiochus ad sua tuenda a Parthia reuocaretur. Interim quoniam viribus non poterat, insidiis Antiochum vbique tentabat. Propter multitudinem hominum, exercitum suum Antiochus per ciuitates in hyberna diuiserat: quae res exitii causa fuit. Nam cum grauari se copiarum praebitione, & iniuriis militum, ciuitates viderent, ad Parthos desiciunt; & die statuta omnes apud se diuisum exercitum per insidias, ne inuicem ferre auxilia possent,

sent, aggrediuntur. Quae cum nuntiata Antiocho essent, auxilium proximis laturus, cum ea manu, quae secum hiemabat, progreditur. In itinere obuium regem Parthorum habuit, aduersus quem fortius, quam exercitus eius, dimicauit. Ad postremum tamen cum virtute hostes vincerent, metu suorum desertus, occiditur: cui Phrahates exequias regio more fecit, filiamque Demetrii, quam secum Antiochus adduxerat, captus amore virginis, vxorem duxit. Poenitere deinde dimissi Demetrii coepit: ad quem retrahendum cum turmas equitum festinato misisset, Demetrium, hoc ipsum metuentem, iam in regno missi inuenerunt: frustraque omnia conati, ad regem suum reuersi sunt.

LIBER XXXIX.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Demetrius interfecto fratre Antiocho dum Aegyptum tentat, Syriam amittit & tandem cruento fato tollitur.*
2. *Alexander ex ignobili Rex factus, dum fortunam suam non reuerenter habet, foede perit, interfectus a Grypo, qui matrem & fratrem exstinguit.*

3. *Cleo-*

3. *Cleopatra Regina mater in Aegypto grauissimas turbas concitat: vnde horrendae lanienae ex mulierum ira, quarum interitus describitur.*
4. *Peculiares tragoediae, quas Cleopatra inter suos excitat. Tandem illa a filio Alexandro occupata interficitur.*
5. *Alexander in exsilium agitur, reuocato Ptolemaeo Notho. Romanis ad orientalia regna excurrentibus, Syria & Aegyptus vexatur.*

CAP. I.

Antiocho in Parthia cum exercitu deleto, frater eius Demetrius, obsidione Parthorum liberatus, ac restitutus in regnum, cum omnis Syria in luctu propter amissum exercitum esset; quasi Parthica ipsius ac fratris bella, quibus alter captus, alter occisus erat, prospere gessisset, ita Aegypto bellum inferre statuit; regnum Aegypti Cleopatra socru, pretium auxilii aduersus fratrem suum, pollicente. Sed dum aliena affectat, vt assolet fieri, propria per defectionem Syriae amisit. Siquidem Antiochenses primi, duce Tryphone, exsecrantes superbiam regis, quae conuersatione Parthicae crudelitatis intolerabilis facta erat, mox Apamenii, ceteraeque ciuitates exemplum sequutae, per absentiam regis a Demetrio defecere. Ptolemaeus quoque rex Aegypti, bello ab eodem petitus, cum cognouisset, Cleopatram sororem suam, opibus Aegypti,

Aegypti nauibus impositis, ad filiam & Demetrium generum in Syriam profugisse, immittit iuuenem quendam Aegyptium, Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriae armis peteret. Et composita fabula, quasi per adoptionem Antiochi regis receptus in familiam regiam esset, nec Syriis quemlibet regem aspernantibus, ne Demetrii paterentur superbiam: nomen iuueni Alexandri imponitur, auxiliaque ab Aegypto ingentia mittuntur. Interea corpus Antiochi, interfecti a rege Parthorum, in loculo argenteo ad sepulturam in Syriam remissum peruenit: quod cum ingenti studio ciuitatium & regis Alexandri, ad firmandam fabulae fidem excipitur. Quae res illi magnum fauorem popularium conciliauit, omnibus non fictas in eo, sed veras lacrymas existimantibus. Demetrius autem victus ab Alexandro, cum vndique circumstantibus malis premeretur, ad postremum etiam ab vxore filiisque deseritur. Relictus igitur cum paucis seruulis, cum Tyrum, religione templi se defensurus petisset, naui egrediens, praefecti iussu interficitur. Alter ex filiis Seleucus, quoniam sine matris auctoritate diadema sumsisset, ab eadem interficitur; alter, cui propter nasi magnitudinem cognomen Grypo fuit, rex a matre hactenus constituitur, vt nomen regis penes filium, ius autem omnis imperii penes matrem esset.

CAP. II. Sed Alexander, occupato Syriae regno, tumens successu rerum, spernere iam etiam ipsum

ipsum Ptolemaeum, a quo fuerat subornatus in regnum, superba insolentia coepit. Itaque Ptolemaeus, reconciliata sororis gratia, destruere Alexandri regnum, quod odio Demetrii, viribus suis acquisierat, summis opibus instituit. Mittit igitur ingentia Grypo auxilia, & filiam Tryphaenam Grypo nupturam, vt populos in auxilium nepotis, non societate tantum belli, verum & affinitate sua sollicitaret. Nec res frustra fuit: nam cum omnes Grypum instructum Aegypti viribus viderent, paulatim ab Alexandro deficere coepere. Fit deinde inter reges praelium, quo victus Alexander, Antiochiam profugit: ibi inops pecuniae, cum stipendia militibus deessent, templo Iouis solidum ex auro Victoriae signum tolli iubet, facetis iocis sacrilegium circumscribens: nam Victoriam commodatam sibi ab Ioue esse dicebat. Interiectis deinde diebus, cum ipsius Iouis aureum simulacrum infiniti ponderis tacite euelli iussisset, deprehensusque in sacrilegio, concursu multitudinis esset in fugam versus, magna vi tempestatis oppressus, ac desertus a suis, a latronibus capitur; perductusque ad Grypum, interficitur. Grypus porro, reciperato patrio regno, externisque periculis liberatus, insidiis matris appetitur. Quae cum cupiditate dominationis, prodito marito Demetrio, & altero filio interfecto, huius quoque victoria inferiorem dignitatem suam factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. Sed Grypus, praedictis iam ante insidiis, veluti pietate cum matre

cer-

certaret, bibere ipsam iubet; abnuenti instat. Postremum prolato indice eam arguit, solam defensionem sceleris superesse affirmans, si bibat, quod filio obtulit. Sic victa regina scelere in se verso, veneno, quod alii parauerat, exstinguitur. Parta igitur regni securitate, Grypus octo annis quietem & ipse habuit, & regno praestitit. Natus deinde illi est aemulus regni, frater ipsius Cyzicenus, eadem matre genitus, sed ex Antiocho patruo susceptus: quem cum veneno tollere voluisset, vt maturius armis cum eo de regno contenderet, excitauit.

CAP. III. Inter has regni Syriae parricidiales discordias, moritur rex Aegypti Ptolemaeus, regno Aegypti vxori & alteri ex filiis, quem illa legisset, relicto, videlicet quasi quietior Aegypti status, quam Syriae regnum esset, quum mater altero ex filiis electo, alterum hostem esset habitura. Igitur cum pronior in minorem filium esset, a populo compellitur, maiorem eligere: cui prius, quam regnum daret, vxorem ademit; compulsumque repudiare carissimam sibi sororem Cleopatram, minorem sororem Selenen ducere iubet, non materno inter filias iudicio, cum alteri maritum eriperet, alteri daret. Sed Cleopatra non tam a viro repudiata, quam a matre diuortio viri dimissa, Cyziceno in Syria nubit: eique ne nudum vxoris nomen afferret, exercitum Cypri sollicitatum, velut dotalem, ad maritum deducit. Par igitur viribus fratris Cyzicenus, praelium committit, ac victus in fugam vertitur, Antiochiamque venit. Tunc Antiochiam Gry-

Grypus, in qua erat Cyziceni vxor Cleopatra, obsidere coepit: qua capta, Tryphaena vxor Grypi nihil antiquius quam sororem Cleopatram requiri iussit: non vt captiuae opem ferret, sed ne effugere captiuitatis mala posset, quae sui aemulatione in hoc potissimum regnum inuaserit, hostique sororis nubendo hostem se eius effecerit. Tum peregrinos exercitus in certamina fratrum adductos, tum repudiatam a fratre, contra matris voluntatem, extra Aegyptum nuptam accusat. Contra Grypus orare, ne tam foedum facinus facere cogatur: a nullo vnquam maiorum suorum inter tot domestica, tot externa bella, post victoriam in feminas saeuitum, quas sexus ipse & periculis bellorum & saeuitiae victorum eximat: in hac vero, praeter communebellantium fas, accedere necessitudinem sanguinis: quippe ipsius, quae tam cruente saeuiat, sororem equidem germanam esse, suam vero consobrinam: liberorum deinde communium materteram. His tot necessitudinibus sanguinis, adiicit superstitionem templi; quo abdita profugerit, tantoque religiosius colendos sibi deos, quo magis his propitiis ac fauentibus vicisset: tum neque occisa illa, se virium quicquam Cyziceno demturum, nec seruaturum reddita. Sed quanto Grypus abnuit, tanto soror muliebri pertinacia accenditur, rata non misericordiae haec verba, sed amoris esse. Itaque vocatis ipsa militibus, mittit qui sororem confoderent. Qui vt in templum intrauerunt, cum euellere eam non possent, manus amplexantis deae simula-

simulacrum praeciderunt. Tunc Cleopatra exsecratione parricidarum, mandata violatis numinibus vltione sui, decedit. Nec multo post repetita praelii congressione, victor Cyzicenus vxorem Grypi Tryphaenam, quae paulo ante sororem interfecerat, capit; eiusque supplicio vxoris manibus parentauit.

CAP. IV. At in Aegypto Cleopatra cum gravaretur socio regni filio Ptolemaeo, populum in eum incitat; abductaque ei Selene vxore, eo indignius, quod ex Selene iam duos filios habebat, exsulare cogit, arcessito minore filio Alexandro, & rege in locum fratris constituto: nec filium regno expulisse contenta, bello Cypri exsulantem persequitur. Vnde pulso, interficit ducem exercitus sui, quod viuum eum e manibus dimisisset: quamquam Ptolemaeus verecundia materni belli, non viribus minor, ab insula recessisset. Igitur Alexander, territus hac matris crudelitate, & ipse eam reliquit, periculoso regno securam ac tutam vitam anteponens. Cleopatra vero timens, ne maior filius Ptolemaeus ab Cyziceno ad reciperandam Aegyptum auxiliis iuuaretur, ingentia Grypo auxilia, & Selenen vxorem nupturam hosti prioris mariti, mittit; Alexandrumque filium per legatos in regnum reuocat: cui eum occultis insidiis exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur, spiritumque non fato, sed parricidio dedit: digna prorsus hac mortis infamia, quae etiam matrem toro expulit; & duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit; &

filio alteri in exsilium acto bellum intulit, alteri erepto regno exitium per insidias machinata est.

CAP. V. Sed nec Alexandro caedes tam nefanda inulta fuit. Nam vbi primum compertum est, scelere filii matrem interfectam, concursu populi in exsilium agitur, reuocatoque Ptolemaeo regnum redditur: qui neque cum matre bellum gerere voluisset, nec a fratre armis repetere, quod prior possediisset. Dum haec aguntur, frater eius ex pellice susceptus, cui pater Cyrenarum regnum testamento reliquerat, herede populo Romano instituto, decedit. Iam enim fortuna Romana porrigere se ad Orientalia regna, non contenta Italiae terminis, coeperat. Itaque & ea pars Lybiae prouincia facta est: postea Creta, Ciliciaque piratico bello perdomitae, in formam prouinciae rediguntur. Quo facto & Syriae, & Aegypti regna, Romana vicinitate artata, quae incrementa de finitimis bellis quaerere solebant, ademto vagandi arbitrio, vires suas in perniciem mutuam conuerterunt: Adeo, vt assiduis praeliis consumti, in contemtum finitimorum venerint, praedaeque Arabum genti, imbelli antea, fuerint. Quorum rex Erotimus, fiducia septingentorum filiorum, quos ex pellicibus susceperat, diuisis exercitibus, nunc Aegyptum, nunc Syriam infestabat: magnumque nomen Arabum, viribus finitimorum ex sanguibus, fecerat.

LIBER

LIBER XL.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Syri Tigranem Armenium Regem sibi deligunt.*
2. *Victo Tigrane, Antiochus, Cyziceni filius, creatur Rex Syriae. Quae postea in prouinciae formam redigitur.*

CAP. I.

Mutuis fratrum odiis, & mox filiis inimicitiis parentum succedentibus, cum inexpiabili bello & reges & regnum Syriae consumtum esset, ad externa populus auxilia concurrit, peregrinosque sibi reges circumspicere coepit. Itaque cum pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemaeum ab Aegypto arcessendum censeret: occurreretque, quod Mithridates implicitus bello Romano esset, Ptolemaeus quoque semper hostis fuisset Syriae; omnes in Tigranem regem Armeniae consensere, instructum, praeter domesticas vires, & Parthica societate, & Mithridatis affinitate. Igitur accitus in regnum Syriae, per XVIII annos tranquillissimo regno potitus est: neque bello alium lacessere, neque lacessitus inferre alii bellum necesse habuit.

CAP. II. Sed sicut ab hostibus tuta Syria fuit, ita terrae motu vastata est, quo centum septuaginta millia hominum, & multae vrbes perierunt.

Quod prodigium mutationem rerum portendere aruſpices reſponderunt. Igitur Tigrane a Lucullo victo, rex Syriae Antiochus, Cyziceni filius, ab eodem Lucullo appellatur. Sed quod Lucullus dederat, poſtea ademit Pompeius: qui poſcenti regnum reſpondit, ne volenti quidem Syriae, nedum recuſanti, daturum ſe regem, qui XVIII annos, quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciae latuerit: victo autem eodem Tigrane a Romanis, alieni operis praemia poſtulet. Igitur vt habenti regnum non ademerit, ita quo ceſſerit, Tigrani non daturum, quod tueri neſciat: ne rurſus Syriam Iudaeorum & Arabum latrociniis infeſtam reddat. Atque ita Syriam in prouinciae formam redigit: paulatimque Oriens Romanorum, diſcordia conſanguineorum regum, factus eſt.

LIBER XLI.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Parthorum origo, nominis obſcuritas, ſucceſſus, imperium.*
2. *Regni Parthici adminiſtratio. Parthorum ſermo, veſtes, arma, exercitus, praeliandi mos.*
3. *Mores domeſtici, ſepultura, religio, ingenium, virtutes & vitia.*
4. *Parthorum Regum res geſtae paucis deſcribuntur.*

5. *Ar-*

5. *Arsacis sapientissimi Parthorum regis vita, & mors placida.*
6. *Bactriani Regni status sub Eucratide; qui a filio opprimitur. Parthorum bellici successus.*

CAP. I.

Parthi, penes quos, velut diuisione orbis cum Romanis facta, nunc Orientis imperium est, Scytharum exsules fuere. Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur: nam Scythico sermone Parthi exsules dicuntur. Hi & Assyriorum & Medorum temporibus, inter Orientis populos obscurissimi fuere. Postea quoque cum imperium Orientis a Medis ad Persas translatum est, veluti vulgus sine nomine, praeda victorum fuere. Postremo Macedonibus triumphato Oriente seruierunt: vt cuiuis mirum videatur, ad tantam eos felicitatem per virtutem prouectos, vt imperent gentibus, sub quarum imperio veluti seruile vulgus fuere. A Romanis quoque, trinis bellis, per maximos duces, florentissimis temporibus lacessiti, soli ex omnibus gentibus non pares solum, verum etiam victores fuere: quamquam plus gloriae sit, inter Assyria & Medica, Persicaque, memorata olim regna, & opulentissimum mille vrbium Bactrianum imperium, emergere potuisse, quam longinqua bella vicisse; praeterea cum grauibus Scythicis, & vicinalibus bellis assidue vexati, variis periculorum certaminibus vrgerentur. Hi domesticis seditionibus Scythia pulsi, solitudines inter Hyrcaniam, & Dahas, & Areos, & Spartanos,

& Margianos furtim occupauere. Fines deinde, non intercedentibus primo finitimis, postea etiam prohibentibus, in tantum protulere, vt non immensa tantum ac profunda camporum, verum etiam praerupta collium, montiumque ardua occupauerint. Ex quo fit, vt Parthiae pleraque finium aut aestus, aut frigoris magnitudo possideat: quippe cum montes nix, & campos aestus infestet.

CAP. II. Administratio gentis post defectionem Macedonici imperii, sub regibus fuit. Proximus maiestati regum, populorum ordo est: ex hoc duces in bello, ex hoc rectores in pace habent. Sermo his inter Scythicum Medicumque medius, & vtrisque mixtus. Vestis olim sui moris: postea quam accessere opes, vt Medis perlucida ac fluida. Armorum patrius ac Scythicus mos. Exercitum non vt aliae gentes liberorum, sed maiorem partem seruorum habent: quorum vulgus, nulli manumittendi potestate permissa, ac per hoc omnibus seruis nascentibus, in dies crescit. Hos pari ac liberos suos cura habent: & equitare & sagittare magna industria docent. Locupletissimus vt quisque est, ita plures in bello equites regi suo praebet. Denique Antonio bellum Parthis inferenti, cum quinquaginta millia equitum occurrerent, soli CCCC liberi fuere. Cominus in acie praeliari, aut obsessas expugnare vrbes nesciunt. Pugnant autem procurrentibus equis, aut terga dantibus: saepe etiam fugam simulant, vt incautiores aduersum vulnera insequentes habeant. Signum his in praelio

lio non tuba, sed tympano datur. Nec pugnare diu possunt: ceterum intolerandi forent, si quantus his impetus est, vis tanta & perseuerantia esset. Plerumque in ipso ardore certaminis praelia deserunt, ac paulo post, pugnam ex fuga repetunt, vt cum maxime vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit. Munimentum ipsis equisque loricae plumatae sunt, quae vtrumque toto corpore tegunt. Auri argentique nullus nisi in armis vsus.

CAP. III. Vxores dulcedine variae libidinis singuli plures habent: nec vlla delicta adulterio grauius vindicant. Quamobrem feminis non conuiuia tantum virorum, verum etiam conspectum interdicunt. Carne non nisi venatibus quaesita vescuntur. Equis omni tempore vectantur: illis bella, illis conuiuia, illis publica ac priuata officia obeunt: super illos ire, consistere, mercari, colloqui. Hoc denique discrimen inter seruos liberosque est, quod serui pedibus, liberi non nisi equis incedunt. Sepultura vulgo aut auium, aut canum laniatus est. Nuda demum ossa terra obruunt. In superstitionibus atque cura deorum, praecipua omnibus veneratio est. Ingenia genti tumida, seditiosa, fraudulenta, procacia: quippe violentiam viris, mansuetudinem mulieribus assignant. Semper aut in externos, aut in domesticos motus inquieti: natura taciti: ad faciendum, quam ad dicendum promtiores: proinde secunda aduersaque silentio tegunt. Principibus metu, non pudore parent. In libidinem proiecti, in cibum parci.

Fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit.

CAP. IV. Post mortem Alexandri Magni, cum inter successores eius, Orientis regna diuiderentur, nullo Macedonum dignante Parthorum imperium, Stagnori externo socio traditur. Hi postea deductis Macedonibus in bellum ciuile, cum ceteris superioris Asiae populis Eumenem sequuti sunt: quo victo, ad Antigonum transiere. Post hunc a Nicatore Seleuco, ac mox ab Antiocho & successoribus eius possessi: a cuius pronepote Seleuco primum defecere, primo Punico bello, L. Manlio Bulsone, M. Attilio Regulo consulibus. Huius defectionis impunitatem illis duorum fratrum regum, Seleuci & Antiochi discordia dedit: qui dum sibi inuicem eripere regnum volunt, persequi defectores omiserunt. Eodem tempore etiam Theodotus, mille vrbium Bactrianarum praefectus, defecit, regemque se appellari iussit: quod exemplum sequuti totius Orientis populi, a Macedonibus defecere. Erat eo tempore Arsaces, vir, sicut incertae originis, ita virtutis expertae. Hic solitus latrociniis & rapto viuere, accepta opinione, Seleucum a Gallis in Asia victum, solutus regis metu, cum praedonum manu Parthos ingressus, praefectum eorum Andragoram oppressit; sublatoque eo, imperium gentis inuasit. Non magno deinde post tempore, Hyrcanorum quoque regnum occupauit: atque ita duarum ciuitatium imperio praeditus, grandem exercitum parat, metu Seleuci & Theodoti Bactrianorum

norum regis. Sed cito, morte Theodoti, metu liberatus, cum filio eius & ipso Theodoto foedus ac pacem fecit: nec multo post cum Seleuco rege, ad defectores persequendos veniente, congressus, victor fuit: quem diem Parthi exinde sollemnem, velut initium libertatis, obseruant.

CAP. V. Reuocato deinde Seleuco nouis motibus in Asiam, dato laxamento, regnum Parthicum format, militem legit, castella munit, ciuitates firmat: vrbem quoque, nomine Daram, in monte Zapaortenon condit: cuius loci ea conditio est, vt neque munitius quicquam esse, neque amoenius possit. Ita enim & praeruptis rupibus vndique cingitur, vt tutela loci nullis defensoribus egeat: & soli circumiacentis tanta vbertas est, vt propriis opibus expleatur. Iam fontium ac siluarum ea copia est, vt & aquarum abundantia irrigetur, & venationum voluptatibus exornetur. Sic Arsaces, quaesito simul constitutoque regno, non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senectute decedit. Cuius memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, vt omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent. Huius filius & successor regni, Arsaces & ipse nomine, aduersus Antiochum Seleuci filium, centum millibus peditum, & XX millibus equitum instructum, mira virtute pugnavit: ad postremum in societatem eius assumtus est. Tertius Parthis rex Priapatius fuit, sed & ipse Arsaces dictus. Nam, sicut supra dictum est, omnes

reges suos hoc nomine, sicuti Romani Caesares, Augustosque, cognominauere. Hic actis in regno quindecim annis decessit, relictis duobus filiis, Mithridate & Phrahate: quorum maior Phrahates more gentis, heres regni, Mardos validam gentem bello domuit; nec multo post decessit, multis filiis relictis: quibus praeteritis, fratri potissimum Mithridati, insignis virtutis viro, reliquit imperium: Plus regio quam patrio deberi nomini ratus: potiusque patriae, quam liberis consulendum.

CAP. VI. Eodem ferme tempore, sicuti in Parthis Mithridates, ita in Bactris Eucratides, magni vterque viri, regna ineunt. Sed Parthorum fortuna felicior, ad summum hoc duce imperii fastigium eos perduxit. Bactriani autem per varia bella iactati, non regnum tantum, verum etiam libertatem amiserunt: siquidem Sogdianorum & Drangaritanorum Indorumque bellis fatigati, ad postremum, ab inualidioribus Parthis, velut exsangues, oppressi sunt. Multa tamen Eucratides bella magna virtute gessit: quibus attritus cum obsidionem Demetrii regis Indorum pateretur, cum CCC militibus, LX millia hostium assiduis eruptionibus vicit. Quinto itaque mense liberatus, Indiam in potestatem redegit. Vnde cum se reciperet, a filio, quem socium regni fecerat, in itinere interficitur: qui non dissimulato parricidio, velut hostem, non patrem interfecisset, & per sanguinem eius currum egit, & corpus abiici insepultum iussit. Dum haec apud Bactros geruntur, interim inter Parthos & Medos

Medos bellum oritur. Cum varius vtriusque populi casus fuisset, ad postremum victoria penes Parthos fuit. His viribus auctus Mithridates, Mediae Bacasin praeponit: ipse in Hyrcaniam proficiscitur. Vnde reuersus, bellum cum Elimaeorum rege gessit: quo victo, hanc quoque gentem regno adiecit, imperiumque Parthorum a monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, vsque ad flumen Euphratem protulit. Atque ita aduersa valetudine arreptus, non minor Arsace proauo, glorioſa senectute decedit.

LIBER XLII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Mithridatis Parthorum Regis filius & successor Phrahates a militibus interficitur.*
2. *Post Artabanum Mithridates cognomine Magnus regnat, qui bellum infert Armeniae; de cuius origine & primis regibus disserit Iustinus.*
3. *Iasonis, & Armenii Armeniae conditoris, elogia. Tigris fluuii origo.*
4. *Mithridati eiecto Orodes succeſſit, qui parricidiis & cladibus domi & foris exagitatur.*
5. *Phrahatis filii Orodis horrenda parricidia & varia fortuna. Augustus ab eo captiuos Romanos & signa militaria repetit.*

CAP. I.

Post necem Mithridatis, Parthorum regis, Phrahates, filius eius, rex constituitur: qui cum inferre bellum, in vltionem tentati ab Antiocho Parthici regni, Syriae statuisset, Scytharum motibus ad sua defendenda reuocatur. Namque Scythae in auxilium Parthorum aduersus Antiochum Syriae regem, mercede sollicitati, cum confecto iam bello superueniissent, & calumnia tardius lati auxilii, mercede fraudarentur; dolentes tantum iis itineris frustra emensum, quum vel stipendium pro vexatione, vel alium hostem dari sibi poscerent, superbo responso offensi, fines Parthorum vastare coeperunt. Igitur Phrahates, cum aduersus eos proficisceretur, ad tutelam regni reliquit Himerum quemdam, pueritiae sibi flore conciliatum: qui tyrannica crudelitate, oblitus & vitae praeteritae, & vicarii officii, Babylonios, multasque alias ciuitates importune vexauit. Ipse autem Phrahates exercitum Graecorum, quem bello Antiochi captum superbe crudeliterque tractauerat, in bellum secum ducit: immemor prorsus, quod hostiles eorum animos nec captiuitas minuerat, & insuper iniuriarum indignitas exacerbauerat. Itaque cum inclinatam Parthorum aciem vidissent, arma ad hostes transtulere; & diu cupitam captiuitatis vltionem, exercitus Parthici, & ipsius Phrahatis regis cruenta caede, exsequuti sunt.

CAP. II. In huius locum Artabanus, patruus eius, rex substituitur. Scythae autem contenti victoria

storia, depopulata Parthia, in patriam reuertuntur. Sed Artabanus bello Thogariis illato, in brachio vulneratus, statim decedit. Huic Mithridates filius succedit: cui res gestae Magni cognomen dedere: quippe claritatem parentum, aemulatione virtutis accensus animi magnitudine supergreditur. Multa igitur bella cum finitimis magna virtute gessit; multosque populos Parthico regno addidit. Sed & cum Scythis prospere aliquoties dimicauit, vltorque iniuriae parentum fuit. Ad postremum Ortoadisti Armeniorum regi bellum intulit. Sed quoniam in Armeniam transitum facimus, origo eius paulo altius repetenda est. Neque enim silentio praeteriri tantum regnum fas est, cum fines eius post Parthiam omnium regnorum magnitudinem superent. Siquidem Armenia a Cappadocia vsque mare Caspium vndecies centum millia patet; sed in latitudinem millia passuum septingenta porrigitur. Condita est autem ab Armenio, Iasonis Thessali comite: quem cum perditum propter insignem periculosamque regno suo virtutem Pelias rex cuperet, denunciata militia, in Colchos eum abire iubet; pellemque arietis memorabilem gentibus reportare: sperans interitum viri, aut ex periculis tam longae nauigationis, aut ex bello tam profundae barbariae. Igitur Iason diuulgata opinione tam gloriosae expeditionis, cum ad eum certatim principes iuuentutis totius ferme orbis concurrerent, exercitum fortissimorum virorum, qui Argonautae cognominati sunt, comparauit; quem cum magnis re-

rebus gestis incolumem reduxisset, rursus a Peliae filiis Thessalia pulsus magna vi cum ingenti multitudine, quae ad famam virtutis eius ex omnibus gentibus quotidie confluebat, comite Medea vxore; quam repudiatam miseratione exsilii rursum receperat, & Medio priuigno, ab Aegeo rege Athenienſium genito, Colchos repetiuit, socerumque etiam regno pulsum restituit.

CAP. III. Magna deinde bella cum finitimis gessit; captasque ciuitates partim regno soceri, ad abolendam superioris militiae iniuriam, qua & filiam eius Medeam abduxerat, & filium Aegialium interfecerat, adiunxit; partim populis, quos secum adduxerat, assignauit. Primusque humanorum post Herculem & Liberum, qui reges Orientes fuisse traduntur, eam caeli plagam domuisse dicitur. Populis quibusdam Frudium & Amphistratum, aurigas Castoris & Pollucis, duces assignauit. Cum Albanis foedus percussit: qui Herculem ex Italia ab Albano monte, cum Geryone exstincto, armenta eius per Italiam duceret, sequuti dicuntur; quique memores Italicae originis, exercitum Cn. Pompeii bello Mithridatico fratres salutauere. Itaque Iasoni totus ferme Oriens, vt conditori, diuinos honores templaque constituit: quae Parmenion, dux Alexandri Magni, post multos annos dirui iussit, ne cuiusquam nomen in Oriente venerabilius, quam Alexandri esset. Post mortem Iasonis, Medius, aemulus virtutis eius, in honorem matris, Medeam vrbem condidit; regnumque ex nomine suo Me-

dorum constituit, sub cuius maiestate Orientis postea imperium fuit. Albanis vicinae Amazones sunt: quarum reginam Thalestrem concubitum Alexandri petisse, multi auctores prodidere. Armenius quoque & ipse Thessalus, vnus de numero ducum Iasonis, recollecta multitudine, quae amisso Iasone rege passim vagabatur, Armeniam condit: a cuius montibus Tigris fluuius modicis primo incrementis nascitur: interiecto deinde aliquanto spatio, sub terras mergitur; atque ita post quinque & viginti millia passuum grande iam flumen in regione Sophene emergit; ac sic in paludes Euphratis recipitur.

CAP. IV. Igitur Mithridates rex Parthorum, post bellum Armeniae, propter crudelitatem a senatu Parthico, regno pellitur. Frater eius Orodes, cum regnum vacans occupasset, Babyloniam, quo Mithridates confugerat, diu obsidet: & fame coactos, in deditionem oppidanos compellit. Mithridates autem fiducia cognationis, vltro se in potestatem Orodis tradit. Sed Orodes plus hostem quam fratrem cogitans, in conspectu suo trucidari eum iussit: & post haec bellum cum Romanis gessit, Crassumque imperatorem cum filio & omni exercitu Romano deleuit. Huius filius Pacorus missus ad persequendas Romani belli reliquias, magnis rebus in Syria gestis, in Parthiam patri suspectus reuocatur: quo absente, exercitus Parthorum relictus in Syria, a Cassio, Quaestore Crassi, cum omnibus ducibus trucidatur. His ita gestis, non magno

magno post tempore, Romanis inter Caesarem Pompeiumque ciuile bellum oritur: in quo Parthi Pompeianarum partium fuere, & propter amicitiam cum Pompeio bello Mithridatico iunctam, & propter Crassi necem, cuius filium in partibus Caesaris esse audierant: quem vltorem patris victore Caesare futurum non dubitabant. Itaque victis partibus Pompeianis, & Cassio & Bruto auxilia aduersus Augustum & Antonium misere: & post belli finem rursum Pacoro duce, inita cum Labieno societate, Syriam & Asiam vastauere; castraque Ventidii, qui post Cassium absente Pacoro exercitum Parthicum fuderat, magna mole aggrediuntur. Sed ille simulato timore, diu continuit se, & insultare Parthos aliquantisper passus est. Ad postremum in securos laetosque partem legionum emisit: quarum impetu fusi Parthi, in diuersa abiere. Pacorus cum fugientes suos abduxisse secum legiones Romanas putaret, castra Ventii, veluti sine defensoribus, aggreditur. Tum Ventidius reliqua parte legionum emissa, vniuersam Parthorum manum cum rege ipso Pacoro interfecit: nec vllo bello Parthi vnquam maius vulnus acceperunt. Haec cum in Parthia nuntiata essent, Orodes pater Pacori, qui paulo ante vastatam Syriam, occupatam Asiam a Parthis audierat, victoremque Pacorum Romanorum gloriabatur, repente filii morte, & exercitus clade audita, ex dolore in furorem vertitur. Multis diebus non alloqui quemquam, non cibum sumere, non vocem mittere, ita vt etiam mu-

mutus factus videretur. Post multos deinde dies, vbi dolor vocem laxauerat, nihil aliud quam Pacorum vocabat: Pacorus illi videri, Pacorus audiri videbatur; cum illo loqui, cum illo consistere: interdum quasi amissum flebiliter dolebat. Post longum deinde luctum, alia sollicitudo miserandum senem inuadit, quem ex numero XXX filiorum in locum Pacori regem destinet. Multae pellices, ex quibus generata tanta iuuentus erat, pro suis quaeque sollicitae animum senis obsidebant. Sed fatum Parthiae fecit, in qua iam quasi sollemne est, reges parricidas habere, vt sceleratissimus omnium, & ipse Phrahates nomine, rex statueretur.

CAP. V. Itaque statim, quasi nollet mori, patrem interfecit: fratres quoque XXX trucidat: sed nec in filiis cessant parricidia. Nam cum infestos sibi optimates propter assidua scelera videret, ne esset qui nominari rex posset, adultum filium interfici iubet. Huic Antonius, propter auxilium aduersus se & Caesarem latum, bellum cum sedecim validissimis legionibus intulit: sed grauiter multis praeliis vexatus, a Parthia refugit. Qua victoria insolentior Phrahates redditus, cum multa crudeliter consuleret, in exsilium a populo suo pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas ciuitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset, Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur. Hoc absente, regem Parthi Tyridatem quemdam constituerant: qui audito aduentu Scytharum, cum ma-

magna amicorum manu ad Caesarem, in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem, profugit, obsidem Caesari minimum filium Phrahatis ferens: quem negligentius custoditum rapuerat. Quo cognito, Phrahates legatos statim ad Caesarem mittit, servum suum Tyridatem, & filium remitti sibi postulat. Caesar & legatione Phrahatis audita, & Tyridatis postulatis cognitis, (nam & ipse restitui in regnum desiderabat, iuris Romanorum futuram Parthiam affirmans, si eius regnum muneris eorum fuisset) neque Tyridatem dediturum se Parthis dixit, neque aduersus Parthos Tyridati auxilia daturum. Ne tamen per omnia nihil a Caesare obtentum videretur, Phrahati filium sine pretio remisit; & Tyridati quoad manere apud Romanos vellet, opulentum sumtum praeberi iussit. Post haec finito Hispaniensi bello, cum in Syriam ad componendum Orientis statum veniisset, metum Phrahati incussit, ne bellum Parthiae vellet inferre. Itaque tota Parthia captiui ex Crassiano, siue Antonii exercitu recollecti, signaque cum his militaria Augusto remissa. Sed & filii nepotesque Phrahatis obsides Augusto dati: plusque Caesar magnitudine nominis sui fecit, quam armis alius imperator facere potuisset.

LIBER

LIBER XLIII.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Romani imperii initia. Vrbis origo, primi Italiae cultores & Reges.*
2. *Rhea Numitoris filia Remum & Romulum parit, qui mira quadam ratione educati emergunt.*
3. *Romaque condita senatus constitutus: raptae Sabinae: vicini subacti. Phocenses Tarquinii temporibus Massiliam condunt, Liguribus inuidentibus.*
4. *Varia Massiliensium fortuna, & felices successus.*
5. *Massiliensium bella, & foedera. Eorumdem beneuolentia & munificentia in Romanos.*

CAP. I.

Parthicis, Orientalibusque ac totius propemodum orbis rebus explicitis, ad initia Romanae vrbis Trogus, velut post longam peregrinationem, domum reuertitur: ingrati ciuis officium existimans, si, cum omnium gentium res gestas illustraverit, de sola tantum patria taceat. Breuiter igitur initia Romani imperii perstringit: vt nec modum propositi operis excedat, nec vtique originem vrbis, quae est caput totius orbis, silentio praetermittat. Italiae cultores primi Aborigines fuere: quorum rex Saturnus tantae iustitiae fuisse traditur, vt ne-

neque seruierit sub illo quisquam, neque quicquam priuatae rei habuerit: sed omnia communia, & indiuisa omnibus fuerint, veluti vnum cunctis patrimonium esset. Ob cuius exempli memoriam cautum est, vt Saturnalibus exaequato omnium iure passim in conuiuiis serui cum dominis recumbant. Itaque Italia regis nomine, Saturnia appellata est: & mons, in quo habitabat, Saturnius: in quo nunc, veluti a Ioue pulso sedibus suis Saturno, Capitolium est. Post hunc tertio loco regnasse Faunum ferunt, sub quo Euander, ab Arcadiae vrbe Pellanteo, in Italiam cum mediocri turba popularium venit: cui Faunus & agros, & montem, quem ille postea Palatium appellauit, benigne assignauit. In huius radicibus templum Lycaeo, quem Graeci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit: ipsum Dei simulacrum nudum caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romae Lupercalibus decurritur. Fauno fuit vxor nomine Fatua, quae assidue diuino spiritu impleta, velut per furorem, futura praemonebat. Vnde adhuc, qui inspirari solent, fatuari dicuntur. Ex filia Fauni & Hercule, qui eodem tempore, exstincto Geryone, armenta victoriae praemia per Italiam ducebat, stupro conceptus Latinus procreatur. Quo tenente regnum, Aeneas ab Ilio, Troia a Graecis expugnata, in Italiam venit: statimque bello exceptus, cum in aciem exercitum eduxisset, ad colloquium vocatus, tantam admirationem sui Latino praebuit, vt & in societatem regni reciperetur; & Lauinia in matrimonium ei data, gener

ner adsciscceretur. Post haec commune vtriusque bellum aduersus Turnum Rutulorum regem, propter fraudatas Lauiniae nuptias, fuit: in quo & Turnus & Latinus interierunt. Igitur cum Aeneas iure victoriae vtroque populo potiretur, vrbem ex nomine vxoris Lauinia condidit. Bellum deinde aduersus Mezentium, regem Ethruscorum, gessit: in quo cum ipse occidisset, in locum eius Ascanius filius successit: qui Lauinio relicto, longam Albam condidit, quae trecentis annis caput regni fuit.

CAP. II. Post multos deinde vrbis huius reges, ad postremum Numitor & Amulius regno potiti sunt. Sed Amulius cum aetate priorem Numitorem oppressisset, filiam eius Rheam in perpetuam virginitatem, ne quis vindex regni sexus virilis ex gente Numitoris oriretur, demersit: addita iniuriae specie honoris, vt non damnata, sed sacerdos electa videretur. Igitur clausa in luco Martis sacro, duos pueros, incertum stupro, an ex Marte conceptos, enixa est. Quo cognito, Amulius multiplicato metu prouentu duorum, pueros exponi iubet; & puellam vinculis onerat, ex quorum iniuria decessit. Sed fortuna origini Romanae prospiciens, pueros lupae alendos obtulit: quae amissis catulis, distenta vbera exinanire cupiens, nutricem se infantibus praebuit. Quum saepius ad paruulos veluti ad catulos reuerteretur, rem Faustulus pastor animaduertit, subtractosque ferae, inter greges pecorum agresti vita nutriuit. Martios pueros fuisse, siue quod in luco Martis enixi sunt, siue quod a lupa, quae in tutela Mar-

Martis est, nutriti, velut manifestis argumentis creditum. Nomina pueris, alteri Remo, alteri Romulo fuere. Adultis inter pastores, de virtute quotidiana certamina, & vires & pernicitatem auxere. Igitur cum latrones a rapina pecorum industrie frequenterque summouerent, Remus ab iisdem latronibus captus, veluti ipse esset, quod in aliis prohibebat, regi offertur; crimini datur, quasi greges Numitoris infestare solitus esset. Tunc a rege Numitore in vltionem traditur. Sed Numitor adolescentia iuuenis permotus, & in suspicionem expositi nepotis adductus, cum eum nunc lineamentorum filiae similitudo, nunc aetas expositionis temporibus congruens, anxium tenerent, repente Faustulus cum Romulo superuenit: a quo cognita origine puerorum, facta conspiratione, & adolescentes in vltionem maternae necis, & Numitor in vindictam erepti regni armantur.

CAP. III. Occiso Amulio, regnum Numitori restituitur, & vrbs Romana ab adolescentibus conditur. Tunc & senatus centum seniorum, qui patres dicti sunt, constituitur: tunc & vicinis, connubia pastorum dedignantibus, virgines Sabinae rapiuntur; finitimisque populis armis subiectis, primum Italiae, & mox orbis imperium quaesitum. Per ea adhuc tempora reges hastas pro diademate habebant, quas Graeci sceptra dixere. Nam & ab origine rerum, pro diis immortalibus veteres, hastas coluere: ob cuius religionis memoriam, adhuc deorum simulacris hastae adduntur. Temporibus Tar-

Tarquinii regis, ex Asia Phocensium iuuentus, ostio Tyberis inuecta, amicitiam cum Romanis iunxit: inde in vltimos Galliae sinus nauibus profecta, Massiliam inter Ligures & feras gentes Gallorum condidit: magnasque res, siue dum armis se aduersus Gallicam feritatem tuentur, siue dum vltro lacessunt, a quibus fuerant ante lacessiti, gesserunt. Namque Phocenses exiguitate ac macie terrae coacti, studiosius mare quam terras exercuere: piscando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris, quod illis temporibus gloriae habebatur, vitam tolerabant. Itaque in vltimam Oceani oram procedere ausi, in sinum Gallicum ostio Rhodani amnis deuenere. Cuius loci amoenitate capti, reuersi domum, referentes quae viderant, plures sollicitavere. Duces classis Simos & Protis fuere. Itaque regem Segobrigiorum, Nannum nomine, in cuius finibus vrbem condere gestiebant, amicitiam petentes conueniunt. Forte eo die rex occupatus in apparatu nuptiarum Gyptis filiae erat: quam more gentis, electo inter epulas genero, nuptum tradere illic parabat. Itaque cum ad nuptias inuitati omnes processissent, rogantur etiam Graeci hospites ad conuiuium. Introducta deinde virgo, cum iuberetur a patre aquam porrigere ei quem virum eligeret, tunc omissis omnibus ad Graecos conuersa, aquam Proti porrigit: qui factus ex hospite gener, locum condendae vrbis a socero accepit. Condita igitur Massilia est prope ostia Rhodani amnis, in remoto sinu, veluti in angulo maris. Sed Ligures incrementis

vrbis inuidentes, Graecos assiduis bellis fatigabant. Qui pericula propulsando in tantum enituerunt, vt victis hostibus, in captiuis agris multas colonias constituerent.

CAP. IV. Ab his igitur Galli, & vsum vitae cultioris, deposita & mansuefacta barbaria, & agrorum cultus, & vrbes moenibus cingere didicerunt. Tunc & legibus, non armis viuere, tunc & vitem putare, tunc oliuam serere consueuerunt: adeoque magnus & hominibus & rebus impositus est nitor, vt non Graecia in Galliam emigrasse, sed Gallia in Graeciam translata videretur. Mortuo rege Nanno Segobrigiorum, a quo locus acceptus condendae vrbis fuerat, cum regno filius eius Comanus successisset, affirmante regulo quodam, quandoque Massiliam exitio finitimis populis futuram, opprimendamque in ipso ortu, ne mox validior ipsum obrueret. Subnectit & illam fabulam: Canem aliquando partu grauidam locum a pastore precario petisse, in quo pareret: quo obtento, iterato petiisse vt sibi educare eodem in loco catulos liceret: ad postremum adultis catulis, fultam domestico praesidio, proprietatem loci sibi vindicasse. Non aliter Massilienses, qui nunc inquilini videantur, quandoque dominos regionum futuros. His incitatus rex, insidias Massilienſibus exstruit. Itaque sollemni Floraliorum die multos fortes ac strenuos viros hospitii iure in vrbem misit: plures scirpiis latentes, frondibusque supertectos induci vehiculis iubet, & ipse

cum

cum exercitu in proximis montibus delitescit; vt quum nocte a praedictis apertae portae forent, tempestiue ad insidias adesset, vrbemque somno ac vino sepultam armatis inuaderet. Sed has insidias mulier quaedam, regis cognata, prodidit, quae adulterare cum Graeco adolescente solita, in amplexu iuuenis, miserata formae eius, insidias aperuit, periculumque declinare iubet. Ille rem statim ad magistratus defert: atque ita patefactis insidiis, cuncti Ligures comprehenduntur, latentesque de scirpiis protrahuntur. Quibus omnibus interfectis, insidianti regi insidiae tenduntur. Caesa sunt cum ipso rege hostium septem millia. Exinde Massilienses festis diebus portas claudere, vigilias agere, stationem in muris obseruare, peregrinos recognoscere, curas habere, ac veluti bellum habeant, sic vrbem pacis temporibus custodire. Adeo illic bene instituta, non temporum necessitate, sed recte faciendi consuetudine seruantur.

CAP. V. Post haec magna illis cum Liguribus, magna cum Gallis fuere bella: quae res, & vrbis gloriam auxit; & virtutem Graecorum, multiplicata victoria, celebrem inter finitimos reddidit. Carthaginiensium quoque exercitus, cum bellum captis piscatorum nauibus ortum esset, saepe fuderunt, pacemque victis dederunt: cum Hispanis amicitiam iunxerunt: cum Romanis prope ab initio conditae vrbis foedus summa fide custodierunt, auxiliisque in omnibus bellis industrie socios iuuerunt. Quae

res illis & virium fiduciam auxit, & pacem ab hostibus praestitit. Cum igitur Massilia fama rerum gestarum, & abundantia opum, & virium gloria virente floreret, repente finitimi populi ad nomen Massilienſium delendum, veluti ad commune exstinguendum incendium concurrunt. Dux consensu omnium Catumandus regulus eligitur, qui cum magno exercitu lectissimorum virorum vrbem hostium obsideret, per quietem specie toruae mulieris, quae se deam dicebat, exterritus, vltro pacem cum Massilienſibus fecit; petitoque vt intrare illi vrbem, & deos eorum adorare liceret, cum in arcem Mineruae veniſſet, conſpecto in porticibus simulacro deae, quam per quietem viderat, repente exclamat, illam esse, quae se nocte exterruisset, illam, quae recedere ab obsidione iussisset. Gratulatusque Massilienſibus, quod animaduerteret eos ad curam deorum immortalium pertinere, torque aureo donata dea, in perpetuum amicitiam cum Massilienſibus iunxit. Parta pace, & securitate fundata, reuertentes a Delphis Massilienſium legati, quo missi munera Apollini tulerant, audierunt vrbem Romanam a Gallis captam, incensamque. Quam rem domi nuntiatam publico funere Massilienſes prosequuti sunt: aurumque & argentum publicum priuatumque contulerunt, ad explendum pondus Gallis, a quibus redemtam pacem cognouerant. Ob quod meritum & immunitas illis decreta, & locus spectaculorum in senatu datus, & foedus aequo iure percussum. In postremo libro, Trogus

gus maiores suos a Vocontiis originem ducere; avum suum Troium Pompeium, Sertoriano bello, ciuitatem a Cn. Pompeio percepisse dicit: patruum Mithridatico bello turmas equitum sub eodem Pompeio duxisse, patrem quoque sub Caio Caesare militasse, epistolarumque & legationum, simul & annuli curam habuisse.

LIBER XLIV.

BREVIARIVM CAPITVM.

1. *Hispaniae nomen, situs, fertilitas, amnes, claustra, forma, salubritas.*
2. *Hispanorum mores, primus Dux Viriatus.*
3. *Equarum Lusitanicarum fabula. Gallaecorum origo, diuitiae, & miranda.*
4. *Habidis Gallaeciae & finitimarum regionum principis historia, seu fabulosa narratio, & prudens administratio. Geryonis, qui triplex fabulis dictus, regnum.*
5. *Carthaginiensium imperium, praeclari eorumdem Duces violenta morte pereunt. Hispanos domat Caesar Augustus.*

CAP. I.

Hispania sicuti Europae terminos claudit, ita & huius operis finis futura est. Hanc veteres ab Ibero amne primum Iberiam, postea ab Hispano Hispaniam cognominauerunt. Haec inter Africam & Galliam posita, Oceani freto, & Pyrenaeis montibus clauditur. Sicut minor vtraque terra, ita vtraque fertilior. Nam neque vt Africa violento sole torretur, neque vt Gallia assiduis ventis fatigatur, sed media inter vtramque, hinc temperato calore, inde felicibus & tempestiuis imbribus, in omnia frugum genera foecunda est; adeo vt non ipsis tantum incolis, verum etiam Italiae, vrbique Romanae, cunctarum rerum abundantiam sufficiat. Hinc enim non frumenti tantum magna copia est, verum & vini, mellis, oleique: nec ferri solum materia praecipua est, sed & equorum pernices greges, nec summa tantum terrae laudanda bona, verum & abstrusorum metallorum felices diuitiae. Iam lini, spartique vis ingens: minii certe nulla feracior terra. In hac cursus amnium non torrentes rapidique vt noceant; sed lenes, & vineis campisque irrigui, aestuariisque Oceani affatim piscosi: plerique etiam diuites auro, quod in paludibus vehunt. Vno tantum Pyrenaei montis dorso adhaeret Galliae; reliquis partibus vndique in orbem mari cingitur. Forma terrae prope quadrata, nisi quod artantibus freti litoribus in Pyrenaeum coit. Porro Pyrenaei montis spatium sexcenta millia passuum efficit. Salubri-

lubritas caeli per omnem Hiſpaniam aequalis, quia aëris ſpiritus, nulla paludium grani nebula inficitur: Huc accedunt & marinae aurae, vndique verſus aſſidui flatus, quibus omnem prouinciam penetrantibus, euentilato terreſtri ſpiritu, praecipua hominibus ſanitas redditur.

CAP. II. Corpora hominum ad inediam, laboremque: animi ad mortem parati, dura omnibus & adſtricta parcimonia. Bellum quam otium malunt; ſi extraneus deeſt, domi hoſtem quaerunt. Saepe tormentis pro ſilentio rerum creditarum immortui: adeo illis fortior taciturnitatis cura, quam vitae. Celebratur etiam bello Punico ſerui illius patientia, qui vltus dominum inter tormenta riſu exſultauit, ſerenaque laetitia crudelitatem torquentium vicit. Velocitas genti pernix; inquies animus: plurimis militares equi, & arma, ſanguine ipſorum cariora. Nullus in feſtos dies epularum apparatus. Aqua calida lauari, poſt ſecundum bellum Punicum a Romanis didicere. In tanta ſaeculorum ſerie nullus illis dux magnus, praeter Viriatum, fuit: qui annis decem, Romanos varia victoria fatigauit, (adeo feris propriora, quam hominibus ingenia gerunt) quem ipſum non iudicio populi electum, ſed vt cauendi ſcientem, declinandorumque periculorum peritum, ſequuti ſunt. Cuius ea virtus continentiaque fuit, vt cum Conſulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus geſtis non armorum, non veſtis cultum

non denique victum mutauerit: sed in eo habitu, quo primum bellare coepit, perseuerauerit; vt quivis gregarius miles ipso imperatore opulentior videretur.

CAP. III. In Lusitanis iuxta fluuium Tagum, vento equas fetus concipere multi auctores prodidere: quae fabulae ex equarum foecunditate, & gregum multitudine natae sunt: qui tanti in Gallaecia, & Lusitania, ac tam pernices visuntur, vt non immerito vento ipso concepti videantur. Gallaeci autem Graecam sibi originem asserunt. Siquidem post finem Troiani belli, Teucrum, morte Aiacis fratris inuisum patri Telamoni, quum non reciperetur in regnum, Cyprum concessisse, atque ibi vrbem nomine antiquae patriae Salaminam condidisse. Inde accepta opinione paternae mortis, patriam repetisse. Sed quum ab Euryface, Aiacis filio, accessu prohiberetur, Hispaniae litoribus appulsum, loca, vbi nunc est Carthago noua, occupasse: inde Gallaeciam transisse; & positis sedibus genti nomen dedisse. Gallaeciae autem portio, Amphilochi dicuntur. Regio cum aeris ac plumbi vberrima, tum & minio, quod etiam vicino flumini nomen dedit. Auro quoque ditissima, adeo vt etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant. In huius gentis finibus sacer mons est, quem ferro violari nefas habetur: sed si quando fulgure terra prosciss est, quae in his locis assidua res est, detectum aurum velut dei munus colligere per-

permittitur. Feminae res domesticas, agrorumque culturas administrant: ipsi armis, & rapinis serviunt. Praecipua his quidem ferri materia, sed aqua ipso ferro violentior: quippe temperamento eius, ferrum acrius redditur: nec vllum apud eos telum probatur, quod non aut Bibili fluuio, aut Chalybe tingatur. Vnde etiam Chalybes, fluuii huius finitimi appellati, ferroque ceteris praestare dicuntur.

CAP. IV. Saltus vero Tartesiorum, in quibus Titanas bellum aduersus deos gessisse proditur, incoluere Curetes: quorum rex vetustissimus Gargoris, mellis colligendi vsum primus inuenit. Huic cum ex filiae stupro nepos proueniisset, pudore flagitii variis generibus exstingui paruulum voluit: sed per omnes casus fortuna quadam seruatus, ad postremum ad regnum tot periculorum miseratione peruenit Primum omnium cum eum exponi iussisset, & post dies ad corpus expositi requirendum misisset, inuentus est vario ferarum lacte nutritus. Deinde relatum domum, tramite angusto, per quem armenta commeare consueuerant, proiici iubet: crudelis prorsus, qui proculcari nepotem, quam simplici morte interfici maluit. Ibi quoque cum inviolatus esset, necalimentis egeret, canibus primo ieiunis, & multorum dierum abstinentia cruciatis, mox etiam suibus obiecit. Itaque cum non solum non noceretur, verum etiam quarumdam vberibus aleretur: ad vltimum in Oceanum abiici iussit.

Tum

Tum plane manifesto quodam numine inter furentes aestus, ac reciprocantes vndas, velut naue, non fluctu veheretur, leni salo in litore exponitur: nec multo post cerua adfuit, quae vbera paruulo offerret. Inde denique conuersatione nutricis eximia puero pernicitas fuit; interque ceruorum greges diu montes saltusque, haud inferior velocitate peragrauit. Ad postremum laqueo captus regi dono datus est. Tunc & lineamentorum similitudine, & notis corporis, quae inustae paruulo fuerant, nepos agnitus. Admiratione deinde tot casuum periculorumque, ab eodem successor regni destinatur. Nomen illi impositum Habidis: qui vt regnum accepit, tantae magnitudinis fuit, vt non frustra deorum maiestate tot periculis ereptus videretur: quippe barbarum populum legibus iunxit; & boues primus aratro domari; frumentaque sulco quaerere docuit; & ex agresti cibo mitiora vesci, odio eorum, quae ipse passus fuerat, homines coëgit. Huius casus fabulosi viderentur, nisi & Romanorum conditores lupa nutriti, & Cyrus rex Persarum cane alitus proderetur. Ab hoc & ministeria seruilia populo interdicta, & plebs in septem vrbes diuisa. Mortuo Habide regnum per multa saecula a successoribus eius retentum est. In alia parte Hispaniae, & quae ex insulis constat, regnum penes Geryonem fuit. In hac tanta pabuli laetitia est, vt, nisi abstinentia interpellata sagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique armenta Geryonis, quae illis temporibus solae opes habebantur, tantae famae fuere, vt

Hercu-

Herculem ex Asia praedae magnitudine illexerint. Porro Geryonem ipsum non triplicis naturae, vt fabulis proditur, fuisse ferunt: sed tres fratres tantae concordiae exstitisse, vt vno animo omnes regi viderentur: nec bellum Herculi sua sponte intulisse, sed cum armenta sua rapi vidissent, amissa bello repetisse.

CAP. V. Post regna deinde Hispaniae, primi Carthaginienses imperium prouinciae occupavere. Nam cum Gaditani a Tyro, vnde & Carthaginiensibus origo est, sacra Herculis, per quietem iussi, in Hispaniam transtulissent vrbemque ibi condidissent, inuidentibus incrementis nouae vrbis finitimis Hispaniae populis, ac propterea Gaditanos bello lacessentibus, auxilium consanguineis Carthaginienses misere. Ibi felici expeditione & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partem prouinciae imperio suo adiecerunt. Postea quoque hortantibus primae expeditionis auspiciis, Hamilcarem imperatorem cum magna manu ad occupandam prouinciam misere: qui magnis rebus gestis, dum fortunam inconsultius sequitur, in insidias deductus, occiditur. In huius locum gener ipsius Hasdrubal mittitur; qui & ipse a seruo Hispani cuiusdam, vlciscente domini iniustam necem, interfectus est. Maior vtroque Annibal imperator, Hamilcaris filius, succedit. Siquidem vtriusque res gestas supergressus, vniuersam Hispaniam domuit: inde Romanis

manis illato bello, Italiam per annos sexdecim variis cladibus fatigauit: cum interea Romani missis in Hispaniam Scipionibus, primo Poenos prouincia expulerunt: postea cum ipsis Hispanis grauia bella gesserunt. Nec prius perdomita prouincia iugum Hispaniae accipere potuerunt, quam Caesar Augustus perdomito orbe, victricia ad eos arma transtulit, populumque barbarum ac ferum, legibus ad cultiorem vitae vsum traductum, in formam prouinciae redegit.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0376
DFG

magnitudine illexerint.
triplicis naturae, vt fa-
t: sed tres fratres tan-
vt vno animo omnes
lum Herculi sua sponte
ata sua rapi vidissent,

deinde Hispaniae, pri-
um prouinciae occupa-
ani a Tyro, vnde &
st, sacra Herculis, per
n transtulissent vrbem-
uidentibus incrementis
aniae populis, ac pro-
cessentibus, auxilium
nses misere. Ibi feli-
s ab iniuria vindicaue-
prouinciae imperio suo
ue hortantibus primae
milcarem imperatorem
andam prouinciam mi-
lis, dum fortunam in-
dias deductus, occidi-
r ipsius Hasdrubal mit-
Hispani cuiusdam, vl-
necem, interfectus est.
perator, Hamilcaris fi-
riusque res gestas super-
iam domuit: inde Ro-
manis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862743982/phys_0381
DFG